Dissertatio
De

FASCINO
&
INCANTATIONE,

Sub auspicio prælectionum publ. habita,

à

TOBIA TANDLERO
philos. & Medicin. Doctore,
ac Math. profess.

24. Octobris, anno 1606.

Plura sequēs pagina docebit

VVITEBERGAE
Sumptibus Clementis Bergeri, Excudebat Iohann. Schmidt, Anno M. D. CVI.

A. 120869
~~7440 7145~~ BK

Candido Lectori
S. P.

QVandoquidem secundum illud HOMERI Iliad. μ.

πλεόνων -- ἔργον ἄμεινον:

Cuius rationem Euripides in Phœnissis assignat, εἷς ς ἀνὴρ ὃν πάνθ' ὁρᾷ: *propterea nõ alienum iudicavi, si meæ de fascino & Incantatione dissertationi, duas alias eiusdem farinæ adiungerem: quarum una est oratio*

Clarissimi Viri

D. HIERONYMI NYMANNI,

De Imaginatione:

nunquam anteà præter multorum desiderium typis exscripta: sed altera disputatio

Præstantissimi philosophi ac medici

D. MARTINI BIERMANNI,

De Magicis Actionibus,

nunc tertiò propter exemplarium defectum correctior in lucem emissa. Tuum itaq; amice Lector, erit hac tam iucunda, quàm fructuosa centum dubiis quæstionibus ἀνάλυσιν *pollicentia, fronte serena æstimare. Vale.*

Magnifico, nobiliſs: & Strenuo

Dn: HENRICO ABRAHAMO ab EINSIDEL, &c.

&

Ampliſsimo celeberrimoq;

Dn: LVDOVICO PERSONIO IVRECONSVLTO,

utriq;

Sereniſs. Saxoniæ Septemviro

à conſiliis intimis,

Patronis ac promotoribus obſervandis εὐπράτειν.

CVm plurimarũ rerum veritas in profundo ſecundum Democritum, deliteſcat, multis opinionum nebulis obruta, denſisq; phantaſiæ ſpinetis obſepta, utnon facile quis propter intellectus noſtri caliginem & magnum obſtaculorum intervẽtum ad eam pertranſire, ſalvamq; recta acie intueri poſsit: ideo Deus & natura illius ſpectandæ cupidinem, veriq; cognoſcendi appetitum omnibus inſeverunt. Nam ut philoſophus habet lib. 1.

Abſtruſa veritatis Natura.

Veritatis innata cupido.

Metaphyſ: πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Talis appetitus, non aliter, quàm leonem prædæ aviditas, humanam extimulat mentem, ut nocte dieque ratiocinando diſcurrat, & animi ocellis omnia, veritatis amore perveſtiget. At, velut in tenebris viatorem ſæpius ignis fatuus à via ſeducit, & in vitæ diſcrimen præcipitat: ita congenitum animis noſtris veri ardorem plerunque duæ velut erraticæ Stellæ degenerare faciunt: nimirum vecors Ignorantia & vana perſuaſio. Illa enim verborum cognitione contenta, rerum duntaxat corticem lambit, de internis parum aut nihil ſolicita. Videmus hinc odio Sophiſtices diſſerendi ſcientiam exterminari: Mathematum & Aſtronomiæ ſtudia ſubtilitatis & curioſitatis nomine repudiari: diſciplinas quoque naturales cauſarumq; ſe conſequentium ordinem propter utilitatis, in oculos vulgi non incurrentis, parvitatem deſpici atque condemnari: tantum verò ea, quæ maioris autoritatis & precii pluris cenſentur, affectari. Sed hæc Ignorantiæ vexilla ſunt, ſub quibus militant, quicunq; vel rerũ divinarũ adyta ſpe lucelli perreptare, vel Iuriſprudentiæ ſecreta perſequi, vel ſacræ Medicinæ limina pertranſilire,

Veritati quænam adverſentur. 1- Ignorantia.

cam-

campumq; Elysium sine aureo rationis ramo, quem divina Sibylla, (philosophiam intelligo) suis cultoribus monstrat, consequi præsumunt. At in quos absurditatum scopulos illi impingant, quot confusionum spineta, ipsorum animos usque lancinantia & vulnerantia offendant, ut potius de rebus gravissimis ariolari & sortiri, quàm diiudicare videantur, illud (proh dolor) nimium frequenter experimur. Relictis verò Inscitiæ castris, qui Sapientiæ consuetudinem desiderant, hi quoque non rarò à ianua, quod dici solet, aberrant, imprudentis potius impulsu cupiditatis, quàm regia rationis via, ceu decebat, incedentes & per curiosæ opinionis salebras affectibus & phantasiæ habenas laxantes, ut audacter & imprudenter ἄνευ λόγου decurrant. Verùm quot opinionum portenta, quàm irremeabiles errorum labyrinthos hi quoque incurrãt, à quibus vix ac ne vix revocari possunt, in omnibus disciplinis manifestum est. Hinc rectè Galenus lib. 2. de diff. respir. inquit: οὐδεμία ἐστὶ βαφὴ δευσοποιὸς οὕτως, ὡς τὸ τοῦ ἄνευ λογισμοῦ πρὸς τὰ μοχθηρὰ δόγματα πάθος. οὐ γὰρ ἐστι μεταπεῖσαι τοὺς αὐτοῖς ἐντραφέντας: hoc est; Nulla est tinctura adeo indelebilis, ut affectio ad

II. Phãtasia depravata.

prava dogmata ſine ratione. Iis enim innutriti non poſſunt aliter perſuaderi. Quid itaque mirum, quod falſa pro veris, noxia pro utilibus, tartarea pro cœleſtibus paſsim obtrudantur, cum partim Ignorantia, partim opinio citra ratiocinationis aſſenſum illa adornent, & pro ſapientiæ theſauro ſtolidis & incautis vænum exponant. Fucatas tamen & nullius precij merces non difficulter aliquis agnoſcet, ſi prudentes itineris ad veritatem inſtituti comites ſibi iungat Rationem & experientiam: Quamvis enim noſtra mens ab ortu ſit inſtar tabulæ raſæ, & ad ea, quæ ſunt τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, ſe habeat, ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος τὸ μεθ' ἡμέραν, ut Ariſtot. lib. 2. Metaph. cap. 1. loquitur: nihilominus tamen illa quieſcere nequit, ſed ab humo ſe attollere, perque naturales cauſas ad primum Ens, ipſamque veritatem tranſvolare ſemper contendit. Hanc igitur informat Logica, gladioque munit ancipiti, quo nodos omnes Sophiſtices diſcindere valet: hanc philoſophia reddit expeditiorem, clypeum velut ſeptemplicem, cui naturæ univerſa arcana cœlique myſteria ſunt inſculpta, illi adaptans, ut huius objectu quælibet phan-

Quæ ſint arma contra veritatis hoſtes.

I. Ratio.

taſiæ

taſiæ ſpicula declinare, fortiterq; repellere poſsit. Et hæc Rationis arma ſunt, quæ feneſtris Naturæ, ſenſibus videlicet apertis, obiectisque rerum, quæ ab illis deferuntur, æſtimatis, quaſi nebulis diſcuſsis, clariùs refulgent. Quod ſi rationi pariter Experientia, ceu mater ac filia ſcientiæ ſocietur, magna ad veritatem porta nobis recluditur. Mater enim ſcientiæ vocatur Experientia, quandoquidē ab hac, ceu fonte, illa profluit, & à rebus in ſenſu poſitis inchoatur: filia verò proclamatur eadem, quia tandem ſcientia certum omnia ad uſum deducit, adeoq; veritatem confirmat. Hæc duo ſunt crura, quibus non tantum Medicina, ſed omnes ingenuæ artes, quin ipſa omnium rerum veritas inſiſtere ac procedere debent: Si qua igitur in mundo monſtra, vel in ſcriptis aliena dogmata occurrunt, quæ dubiam nobis fidem faciunt, adeoq; ſaniorum judicia ſuſpendunt; ne cū vulgo ſemper hęſitare cogamur, ad hęc duo reſpiciamꝰ, nempe rationem & Experientiā conſulentes. In utriuſq; ſententijs modo ſano concurrentib. meritò acquieſcamus, veritati ſuffragantes: diſſidentibus verò vel coactè connexis, falſitatem ſubeſſe ſuſpicemur. Cum itaq; magna rude vulgus perſuaſio

II. Experientia.

adeò dementarit, ut indubiam fascino Incantationi, Sagis ac Lamiis fidem tribuerit, omniaq; illorum somnia pro veris habuerit: placuit mihi difficilem hanc DE FASCINO ET INCANTATIONE materiam diligentiore rationis examine trutinare, & in veritatis gratiã publ. dissertatione explanare: quod in exordio meæ professionis expeditum dedi. Nunc verò, cum audiverim, hanc meam opellam studiosis & solertibus ingeniis gratam fuisse, eamque, typis ut committatur, exoptari: votis auditorũ & communi iuventutis saluti, cui semper impensissimè deditus fui, satisfaciendum putavi. διαλογισμὸν igitur hunc meum publicæ luci expositum, vobis, **Magnifice Einsideli, & Consultissime Personi**, ut inscriberem ac devoverem, pluribus adductus momẽtis. EINSIDELIVM commendat omnibus non modo natalium splendor, sed inprimis mirifica erga cunctos humanitas & iuvandi promptitudo: talem habere patronum, omnis scientiæ comitatis & experientiæ plenum quis non desideraret? quis absentem salutare non dignaretur? PERSONIVM doctrinæ excellentia, linguæ facundia, iurisque

peritia reddit celeberrimum: talem ſibi demereri fautorem quis recuſaret? abeuntem quis ſine acclamatione debita dimitteret? Vos igitur, conſilij plena numina, potentiſsimo Saxoniæ Electori, quaſi cœlitùs demiſſa, meæ qualicunq; lucubrationi fauete, patrocinium contra Zoilos adferte, veſtro ſplendore quoddam decus aſpirate: meque plurimis invidiæ telis humi deiectum ſublevate ac proſperrime valete. Dabam poſt ſeſquimilleſimum centeſimo ſexto nati ſalvatoris anno, Idibus Auguſti, VVitebergæ.

Magnif. & Excell.

V. V.

Obſervantiſsimus

Tobias Tandlerus

D. ac Mathem.

Prof.

INDEX.

Quæstionum, in prima dissertatione decisarum.

I.

AN *Magia veterum laudabilis? Aff.* pag. 5.

II. *An fascinatores ex libera voluntate, quæ faciunt, agant? Neg.* p. 6.

III. *An melancholicorum deliria quid habeant veritatis? Neg.* p. 8.

IV. *Cur melancholici tristes ac desperabundi? Resp.* p. 9.

V. *An curiositas malorum plurimorum sit mater? Aff.* p. 10.

VI. *An mulieres satanæ ludibriis magis expositæ Aff?* Ib.

VII. *An gratia finis fiat fascinatio? Aff.* p. 11.

VIII. *An fascinandi propositum juvet dæmon? Aff.* p. 12.

IX. *An homines verè cum Diabolo pacisci possint? Neg.* p. 14.

X. *Vtrum aliqua satanæ sit inuito Deo potestas? Neg.* p. 15.

XI. *An homines à spiritibus abripi possint? Aff.* p. 16.

XII. *An incantationum vi per aerẽ volare possint homines? Neg.* p. 17.

XIII. *An Lamiæ cum spectris diabolicis in montium altissimorum fastigiis epulentur? Neg.* p. 18.

XIV. An verè choreas ducant? Neg. p. 18.
XV. An realem Venerem exerceant? N. Ib.
XVI. An diabolus abreptum aliunde semen ad conceptum supponere possit efficax? Neg. p. 19.
XVII. An ex succubo dæmoniaco Lamiæ revera pepererint? Neg. p. 20.
XVIII. An homines incantamentis in beluas mutari possint? Aff. aliqui Ib. Contrà solvũtur argum. & N. p. 21.
XIX. An substantialis hominum transformatio sit possibilis? Neg. p. 22.
XX. An Magi Pharaonis vera effecerint miracula: Neg. p. 24. 104.
XXI. An lycanthropi pueros devorârint? Neg. p. 25.
XXII. An hominum sit in cœlos aliqua potestas? Aff. quidam p. 26. Contrà Neg. Ib.
XXIII. An satanas sit augur tempestatum? Aff. p. 27.
XXIV. An incantatio fiat per certa media? Aff. aliqui p. 28, Contrà Neg. Ib.
XXV. An fascinum sit rebus naturalibus ascribendum? Neg. p. 29.
XXVI. An striges è iunco lac emulgere queant? Neg. p. 30.
XXVII. An philtra naturaliter amorem cieant? Neg. Ib.

XXVIII. An infantes à fascino lædi facilius possint? Aff. p. 31.
Restringitur. Ib.
XXIX. An fœminæ citius incantatione moveantur? Aff. p. 32.
XXX. An piis obsit incantatio? Neg. Ib.
XXXI. An fascino morbi possint inferri? Neg. p. 33
XXXII. An incantatione morbi possint auferri? Neg. p. 34.
XXXIII. An sit aliqua vis naturalis unguenti armarii? Neg. Ib.
XXXIV. An fascinatio fiat per occultum efluvium? Aff. aliqui p. 36
XXXV. An per aspectum quis fascinari possit? Aff. aliqui. p. 37.
Contrà solvuntur argumenta, & Neg. Ib.
XXXVI. An basiliscq visu enecet? N. p. 38
XXXVII. An fœminæ menstruatæ noceant oculis? Neg. p. 38.
XXXVIII. An incantatio verbis ascribenda? Aff. aliqui p. 39
Contrà Neg. p. 40.
Diluuntur ad versariorum rationes. Ibid.
XXXIX. An verbo Dei peragi possit fascinatio? Aff. aliqui p. 41.
Negant rectiùs plurimi p. 42.

XL. *An imaginibus & characteribus insit vis fascinandi? N.* p 43.69.
XLI. *An per contactum communicetur fascinum? Aff. aliqui* p.44.
Neg. *Ib.*
XLII. *An virtute gemmarum vel herbarũ perficiatur incantatio?*
Aff. nonnulli. p. 45.
Neg. *Ibid.*

INDEX
Quæstionum in altera Oratione discussarum.

I.
AN infectis & Zoophytis Imaginatio denegata? Aff. quidam. p.55.
2. *An in dormientibus imaginatio sit efficax? Aff.* p. 56.
3. *An incubus fiat ex læsa imaginatione? Aff.* *Ib.*
4. *An vi imaginationis Noctambulones varia peragant? Aff.* p. 57.
5. *An Ecstatici per phantasiam intelligant? Aff.* *Ib.*
6. *An anima suo corpore possit egredi?* *Neg.* p. 58.
7. *An Lamiarum & sagarum relationes imaginationi debeantnr? Aff.* *Ib.*
8. *An Lycanthropi verè luporum formam assumant?*
Neg. p. 59. 106.
9. *An imaginatio sit mater omnium scientiarum?*
Aff. *Ib.*
10. *An phantasia causa sit omnium malorum?*
Neg. p. 60.
11. *An imaginatio sit affectuum domina? Aff.* p. 61.
12. *Cur meticulosis spectra sæpius obvia?*
Respond. *Ib.*

13. Cur aliquibus ex locis altis deficientibus omnia rotari videantur? Resp. p. 61.
14. An aliquis una nocte potuerit canescere, ut Lemnius refert? Aff. Ib.
15. Unde subita Chamæleontis & polypodis mutatio? Resp. p. 62.
16. Cur irati vulnera non sentiant? Resp. p. 63.
17. Fœtum in utero signatura distar unde? Resp. p. 64.
18. An phantasia morbos accersere possit? Aff. p. 65.
19. An a rubro colore sanguis moveatur? Aff. p. 66.
20. Cur aliqui sanguine confecto hypothymiam patiantur? Resp. p. 67.
21. An Imaginatio morbos amoliri queat? Aff. Ib.
22. Cur prægnantes aliquando noxia innoxiè usurpent? Resp. p. 68.
23. An galguli aviculæ confectus Iterum sanet & quomodo? Aff. Ib.
24. An articulares Musica dolores mulceat? Aff. p. 69.
25. An sit aliqua virtus characterum & imaginum, ad occultas actiones? Neg. Ib.
26. An ligatura gladii conferat vulneri sanando? Neg. p. 71.
27. An amuletis & periaptis physicis activa insit facultas? Aff. Ib.
28. An imaginatio nostra quid possit in alios & externa obiecta? Aff. aliqui p. 72. 73.
Neg. contra alij 74.
Solvuntur priores rationes p. 75.
29. An & quomodo stupor dentium ex re ingrata visa contingat? Aff. p. 75.
30. Cur aliquo oscitante simul alter oscitet? Resp. p. 76.
31. An infantes intuitu vel collaudatione vetularum fascinari possint? Neg. Ib.
32. An ex interempti vulnere sanguis profluens certò autorem signet? Aff. aliqui p. 77.
Contra Ibidem. p. 78. & 79.

INDEX

Quæstionum in tertia ἐξετάσει *positarum.*

I.

AN physici sit agere de Magicis actionibus Aff. pag. 81.
2. An intelligẽtiæ cœli sint unà mobiles? N. p. 83
3. An incorporea per se moveri possint? Neg. Ib.
4. An angeli loco mobiles sint? Neg. p. 84
5. An diabolus animos hominum possit intrare? Aff. p. 86.
6. An sint Magi? Aff. p. 85.
7. An somnia quædam citra sensus absq; manifesta causa fiant? Aff. p. 87.
8. An anima possit egredi, suum corpus? N. p. 89.
9. An Opiatis medicamentis ἀναισθησία producuci possit? Aff. p. 92.
10. An somnifera sensus ligent? Aff. p. 93.
11. An dæmones possint fieri corporei? N. p. 94
12. An trãsportatio Magorũ sit possibilis? N. p. 96
13. An dæmones cum hominibus concumbere possint? N. p. 97.
14. An μεταμόρφωσις cõcessa Magis? N. 99.
15. An primæ materiæ cognitio sit necessaria? Aff. Ibid.
16. An Aegyptii Magi eadem fecerint miracula cum Mose? Neg. p. 104.
17. An lycanthropia sit possibilis? N. p. 106
18. An characterum & imaginum per se sit aliqua vis? N. p. 108.
19. An diaboli potentia sit infinita? N. p. 112.
20. An virtute dæmonum aliqua fiant meteora? Aff. p. 113.
21. An dæmones possint morbos infligere? Aff. p. 115.
22. An omnes à veneficiis lædi possint? N. p. 116.

23. Cur veneficia sint Magis innoxia? p. 116.
24. An vetulæ aspectu lædant? N. p. 117.
25. An Triballi oculis effascinare potuerint? p. 119.
26. An laudatio quorundam noxia? Resp. p. 121.
27. An aliqua per Magiam in corpora occultè indi possint? N. p. 122.
28. An morborum curationes diabolicæ fiant præter naturam? N. p. 123.
29. An ὁπλιαξίας virtus sit naturalis? N. p. 124.
30. An aliquibus indita sit vis sanandi morbos? Neg. p. 127.
31. An peregrinationes iuvent? Aff. p. 128.
32. An verba sanent? Neg. Ib.
33. An ligaturæ Venerem retardent? N. p. 129.
34. An feras sistant ac doment orationes? N. Ib.
35. An amor vel odium verbis Magicis paretur? Neg. p. 130
36. An philtra naturaliter incendant amorem? Neg. p. 331.
37. An sit finis actionum magicarum? p. 136.

Adiunctæ sunt sub finc Quæstiones aliæ.

I.

AN aliqui fascinatores nascantur? Aff. p. 137.
Neg. p. 138.

II. An examen Lamiarum per aquas ad pœnam sufficiat? Aff. p. 139.
Neg. p. 140.

III. An morbos vel maleficia maleficiis avertere liceat? Aff. p. 141.
Neg. *Ib.*

ORATIO DE FASCINO ET INCANTATIONE.

TANDEM ALIquando, Prorector Magnifice, Generose Domine Baro, viri Reverendi, excellentissimi, patres Academiæ laudatissimi, túque Studiosorum flos & corona splendidissima; tandem aliquando bonis fatis affulget illa dies, quã totie. à Deo immortali petii, qua serenissimis Saxoniæ Ducibus, Dominis ac Mecœnatibus meis munificentissimis, huic Academiæ ut matri meritissimæ, præceptoribus ac promotoribus meis, amore & honore semper prosequendis, animo devoto ac memori gratias agere publicas, & quam parvam teneo, meorum studiorum supellectilem offerre iussu benignissimo compellor.

Sacrosanctæ Triadi, cuius ineffabili providentia decimum quintum Vi-

teberga vivo annum, præ desiderio bonarum artium plurimis expositus molestiis, laus & gloria sit in æternum. Pientissimo Saxoniæ Proelectori FRIDERICO VVILHELMO, τῷ ἐν ἁγίοις cuius inclyta celsitas duplici me Stipendio in castris Musarum & Apollinis militantē clementissimè iuvit, sit gratia meo nunquam, imò nunquam bonorum omnium animo discessura. Potentissimo Saxoniæ Septemviro CHRISTIANO II. Domino nostro clemētissimo, cuius munificentia singulari ad honores Doctoreos aspirare, & ad Academicam functionem pervenire potui, sit incolumitas & salus in ævum. Academiæ huic nostræ & huius antistitibus celeberrimis, quorum in docēdo fidelitatem & candorem; in iuvando facilitatem; in promovendo benevolentiam aliquoties abundè sum expertus: perennis vernet cum sole splendor, ad utrumq; mundi latus auspicatò pertingens. Da Deus, ut in hoc Leucoreo posthac lyceo, totaque patria religio floreat incorrupta, ab omni serpentis antiqui veneno Saxonicæ rutæ afflatu defensa: genorosis-

sima

ſima domus Saxonicæ Stirps ac propago inſtar amaranthi lætiſſimè creſcat, inſtar lauri nullis adverſitatum fulminibus cedat, ſed inſtar palmæ reſiſtat, & eccleſiæ DEI grata halcyonia, juſticiæ deſiderata ſacraria, Muſis amæna tempe ſub tranquilla pace & concordia præſtet.

His prælibatis, etſi non ex ambitioſa temeritate, ſed iuſſu magnifici Prorectoris, & antiquæ conſuetudinis impulſu has dicendi partes recepi: tamẽ huius amplitudine loci, & auditorum generis ac autoritatis ſplendore, eloquentiæ decóre, omniumque doctrinarum ſcientiis præcellentium frequente conſeſſu, tum propter ingenii, quod Naturæ debeo, vilitatem, tum inopiam facundiæ, quam & verbis & ſententiis gravem huius cathedræ ſublimitas eflagitat, adeo percellor, ut quid prius posteriusvè agere debeam, perturber. Sed optima ſpe veſtræ humanitatis ac benevolentiæ, quam plures alij ex hoc antea loco reportárunt, quam non ſemel mihi promptam animadverti, rurſus erigor atq; confirmor,

ut alacriore animo, quod officij mei ratio postulat, omnibus connatæ timiditatis terriculamentis excussis, aggredi non erubescam.

Cogitanti verò mihi de materia, quæ non solum hoc amplissimo digna cætu, verùm etiam à professione, quæ mihi iniuncta est, haud aliena esset: subijt fascinum, quod hodieq; plurimorum doctorum animos, ne de plebe dicam indocili, perstringit, ut fascino & incantationibus ferè omnia subijciant, abditámque verbis sive sacris, sive profanis, sigillis item, annulis, characteribus, signis, à fausto vel adverso siderum influxu impressam virtutem sibi somnient, nunc ad lædendum, nunc ad iuvandum; nunc ad alia mirabiliter perficienda. Quæ pleraque cum partim saniori Astronomiæ labem; astrisq; & horum conditori iniuriam inferant; partim etiam sacræ Medicinæ conspurcationem & calumniam importent: visum est operæ preciũ, ut, quæ sit fascini potestas, & cuius impulsu fiat, an Naturæ vel dæmonis, altius paulò pensitetur.

Quod,

Quod, ut facilius tentare, & felicius expedire valeam, Vestra Magnificentia, generositas, Reverẽda dignitas, excellentia & humanitas, omnium ordinũ auditores, ut me benevole sublevent, humiliter & officiosè rogo. Pauciſſimis annitar magna rerum molimina quaſi digito monſtrare: limatiſſimis verò ingeniis veſtris cenſoriam virgulam relinquam.

Cum duplex habeatur Magia: quædam veterum, præclara, cuius adminiculo mirãda ſæpius effecta, rudiq; vulgo ſtupenda, quæ vel ſympatheiam vel antipatheiam rerum conſequuntur, naturalibus è cauſis, prudenter invicem copulatis, produxerunt: quædam recentiorum infamis, malorumque conſortio dæmonum edocta, quæ tamen honeſto ſe titulo cohoneſtare, ſecretioris naturæ cognitionem iactare, miniſtrosque ſuos veluti vates divinos ac Naturæ praecones extollere non veretur: initio ſciendum, quod mihi neque Naturalem Magiam, quæ philoſophiæ ſoboles eſt, neque omnes Magiæ infamis

An Magia veterum laudabilis?

ſpecies, pæne innumeras redarguere, ſed uniuſ FASCINI ET INCANTATIONIS naturã cauſas q; perſcrutari ſit conſtitutũ. In dignoſcendis vero hominum factis, quia duo ſolent æſtimari: βούλησις καὶ δύναμις; eadem præſenti pariter inſtituto ſunt accommodanda, ut eluceſcat utrum benigniſſimæ rerum parenti Naturæ, quam alii Novercam ingratiſſimi proclamant, aſcribi merito faſcinum & Incantatio debeant, vel an illa à fraudibus Magorum vindicari, operumque nefandorum autor explorari & convinci poſſit.

An faſcinatores ex libera voluntate agant?

Voluntatem ſecundum perſonarum cauſarumq; diſcrimina non ſemper eandem cenſeo. Sicut enim pueri, quibus ignorantia rerum ac iudicij imbecillitas errores creat, ut ſæpe grandia delicta committant, ordinariæ pœnæ non ſubjiciuntur: ſicut furioſi, quibus ratio depravata, mens averſa, conſilijque impotentia non raro ad horrenda facinora facem præfert, æquali ſupplicio non aggravantur, quod vos ſacrarum legum Doctores haud gravatim, ut ſpero,

mihi concedetis: ita nec omnium, qui corpore videntur incolumi constare, sana ac deliberata in omnibus actionibus voluntas est, sed eorum duntaxat, quibus mens sana in corpore sano.

Tales electionem rerum instituere, malum declinare, bonum arripere, possibilia moliri, ἀδύνατα relinquere satagunt, & adeò quæcunque recta voluntatis censura suadet, insequuntur & administrant. Nemo enim hominum, nisi mentis expers sit, impossibilia tentare præsumit, sed ea tantum, quorum desiderio eventus non planè desperatus aliquando respondet. Inveniuntur nihilominus non pauci, qui cœlum sub pedibus habere, sideribus imperare, dæmonibus & angelis dominari, tempestatibus iussa dare, tonitrua, fulmina grandines ac pluvias evocare, bestijs immanibus frena injicere, DEI creaturas subitò transmutare, motus in instante per longissima locorū intervalla facere, cum larvis satanicis tripudia, Neg.

concubitus, aliáque exercere, brutis tandem & hominibus etiam longè absentibus commoda vel incommoda fascinando vel incantando inferre maximè videri volunt atque concupiscunt. Rectene igitur tales homines, quæ perficere nequeunt, sibi arrogant? an hæc ex liberæ voluntatis proposito desiderant? Non puto. Liberum enim voluntatis imperium cupiditates intrant, sive ex corrupta natura, & curiositate, sive ex incitamentis Satanæ profectæ, quæ iudicium perturbant, voluntatemq; vanitati mancipatam reddunt, ut is umbram pro corpore, nugas pro veritate magno cum applausu recipiat. Eiusmodi vero spectris exercentur utplurimum curiosi, melancholici, tristes, meticulosi, & cumprimis fœmineus sexus: quid vero absurditatis ijs persuaderi non potest?

An melãcholicorũ deliria sint vera? Neg:

Melancholicis atra densaque fuligine rationis arx, Cerebrum oppletur, mens inconcinnis ludibriis divexatur & incompositis imaginibus decipitur, ut ea, quæ nuspiam sunt vel fuerunt, sibi comminiscantur, & palàm pro veris a-

gnoscant.

gnoſcant. Ita quidam ſe reges vel monarchas iactitant, alij ſe Deos aut prophetas profitentur: nonnulli venuſtalarum amore virginum ſe frui gloriãtur: alius ſe teſtaceum, alius ſe vitreum conquerebatur, ne colliſu perirent, veriti & obviantibus cedentes: alius gallos cantu brachiorumq; plauſu ridicule imitabatur, Galen. l 3. de loc. aff. c. 6: *aliqui captivitatem, condemnationem, ſupplicia vel Orcum ſibi deputata deplorant. Et quis omnium atra bile vexatorum ridicula commenta recenſeret? Nec abſunt his mali genii, qui ſe pravis immiſcent humoribus, & ad peſſima quæque perpetranda proclives inſtigant, mirabilia rerum ſimulachra phantaſiæ obijcientes. Cumque melancholicus humor ſit frigidus, ideo metum & triſtitiam animo incutit, ut facilè nodum in ſcirpo quærit are ac deſperare incipiant; quam veterator ille Stygius occaſionem captat, mœſtosque ac meticuloſos blanditijs aggreditur, ſolatia promittit, vanàque ſpe deſperabundos in ſuam naſſam illicit, ſibique conſentientes inenarrabili modo deludit. Accedit curioſitas hominum,*

Cur melancholici timidi ac deſperabundi?

An curiosi sint in mala proni? Aff.

An fœminæ ludibriis Satanæ magis expositæ? Aff.

qui novitatis semper avidi, supra sortem humanam plurima scire ac perage-re desipienter appetunt, quæ nulla ratione consequi possunt. Tales à Deo vijsq; suis recedentes in Satanæ laqueos incidunt, qui ipsis potentiam, consilia, sapientiam falso pollicetur. Facilimè verò mulieres, à mollitie secundum Varronem dictæ, quod sint ἀσθενέστερον σκεῦος, velut D. Petrus epi. 1. c. 3. appellat, ideoq; mox flecti, frangi, decipi & ad credendum quælibet impelli possint, quinetiam desperare, secundum Aristotelem, l. 9. de hist. anim. cap. 1, dæmoniacis offucijs magis expositæ sunt, & præcipuè si fuerint malicioſæ, ac decrepitæ, quæ propter animi impotentiam ætatemq; deliram non ita mente constant. His ut primitùs Evam fefellit, ita adhuc insidiatur dæmon & quibuscunq; potest, dolis ac milleformi astutia, oculos perstringit, sensus pervertit, mentemq; dementat, insolita phanthasiæ offerendo spectra, quæ nusquam sunt, quasi revera existerent, non solum dormientibus, sed & vigilantibus, ut non tam cogitare, quæ minus conveniunt, quàm facere palam &

sanctè

ſancte confirment, ratione tamen à verò exorbitante, iudicioq; perverſo.

Quales itaq; ſint, qui faſcinum aliis immittere, vel incantamentis obeſſe certo ſibi perſuadent, oſtenſum ſpero: quid vero cauſæ eos ad hæc opera commoveat, adhuc indagandum.

Inter πρῶτα κινοῦντα, ſecundum philoſophum cum ſit finis, quem ſibi efficiens proponit acquirendum & quidem, alicuius boni gratia, ſive ſit revera, ſive tantum apparenter: faſcinationis quoq; & incantationis finem ante omnia cognoviſſe, neceſſarium eſt. Vocamus hūc τὸ φαινόμενον ἀγαθὸν quod ex mentis errore bonum putatur, tametſi contra DEI legem & amorem proximi pugnat: veluti, quod Incantatores divinorem in ſidera potentiam, in ſublunaria corpora peculiare dominium, in homines & bruta licentiam & vindictam occultam arroganter affectant.

An faſcinationis ſit aliquis finis. Aff.

Inſtigat ad hæc eos rationis deviatio, impetus affectuum, & phantaſiæ luſus, qua ſibi montes aureos fingunt, cum Tantalo: ſecundum Ovid. lib. 1. Metamorph: Poma fugacia captant,

Cauſæ impulſivæ Interna.

&

& miris gesticulationibus assequi laborant: quinetiam perturbata mente idolis ab imaginatione & diabolo suggestis tantum fidei tribuũt, ut mortem potius oppetere, quàm illorum phantasmatum quæ verissima putant, vanitatem deplorare malint.

O stultas hominum mentes! ô pectora cæca, quib. inextirpabilis Opinio tam spissas errorum nebulas offundit, ut sub spe boni, mala cupiant ac persequantur, eásque calamitates, quarum autores non sunt, sibi miserè patiantur imputari.

Externa causa dæmon.

Confirmat insuper ludibria μυριοτέχνης iste scelerum inventor, qui propter intelligentiæ subtilitatem, humano ingenio longè superiorem, vel causas naturales artificiosè combinare docet, ut miraculosa proveniant eventa; vel instantia fata præsagit, ideoque homines credulos ad opera ludicra concitat, quib. illa produci superstitiosè existimant, ut idcirco magistrum suũ pleniore fiducia observẽt: vel ob motûs celeritatem se sensibus hominum ingerit, & huiusmodi visa cogitationibus, non aliter quàm oculis adessent, exhibet, ut quæ mera somnia

existunt,

existunt, ceu corpora realia propugnent. Atqui tota fascini & incantationis ἐνέργεια cum vel à corrupta melancholicorum & amentium hominum phantasia, vel à versipellis astu dæmonis ortum trahat, meritò Christianis detestãda, eq; piorum animis extirpanda est, ne vel Naturæ tales actiones ascribẽdo iniuriã inferamus, vel naturæ autori Deo, qui solus omnia, nunc ad probationem iustorum, nunc ad præmonitionem impiorum, nunc ad pœnam sceleratorum dirigit, omnipotentiam detrahamus, eamq; aut sagis aut satanæ ascribamus.

Hactenus, quid de fascinantium & incantantium proposito iudicandum sit, & quibus ad hæc deliramenta causis irritentur, exposuimus: restat, ut quid facultatis in eorum conatibus insit, expendamus. Quod obtinere commodiùs poterimus, si partim signa, tam certa & necessaria, quàm probabilia, partim circumstantias factorum, quæ ipsis attribuuntur, attenderimus.

Eventa rerum, quæ fascinando & incantando provocari creduntur, accuratiùs æstimanti non erit arduum, animadverte-

advertere, quod illa de fascinatoribus memorata, vel mera sint illorū somnia, quæ delirantes effutiunt, vel mira portentifici Cacodæmonis idola, quibus imprudentes ac parum cautos effascinat, decipit & illudit. Sed occlamare plurimos audio, homines quidem ratione suarum virium eiusmodi prodigia fascinando non solos efficere, suasu tamen & auxilio tartarei spiritus, cuius ingens in rebus naturalibus occultioribus sapientia, in providendo perspicacitas, in agendo celeritas, cui se nonnulli homini iureiurando devinciunt, multa committi, quæ supra naturæ genium sunt, vulgique animos in admirationem trahunt. Illis ego regero: quod licet homines, dolo circumventi, aut metu compulsi, aut ignorantia decepti, in istam credulitatis foveam incidant, ut firmiter persuasum habeant, se Deo posthabito inviolabilem cum dæmonio stipulationem ac fœdus paciſci, nullius tamen momenti sit iste contractus. Quid enim communionis inter mendacem spiritum, hominemq; dementem intercedit? nulla est constans concordia, vel consensus: nulli

An homines cum diabolo paciſci possint?

Neg. 1.

vades ſeu teſtes, pactum firmantes: nulla ſpiritus incorporei cũ homine corporeo ſtipulatio: nulla denique conditionum, quas præſtigiator infernalis pollicetur, certitudo: ſed vana ludibria, fanaticæ & impoſsibiles promiſsiones. Quænam igitur pactionis erit firmitudo? Quid? quod nugaciſsimus ille veterator infinitam agendi potentiam, de qua frivolè gloriatur, ſibi falsò arroget, cum nihil abſque DEI permiſſu operari poſsit. Ille neque cyniphes aut pediculos è terra producere, Exod. cap. 8. 9. neque muſcas abigere, neque puſtulas & ulcera facere, neque in ſues ingredi, neque pilum de capite noſtro auferre poteſt ſine Dei conſenſu: & quomodo elementa omnia cõtra hominem, quo nihil Deo charius eſt, armare, tempeſtates excitare, Lunam obſcurare, graves inducere morbos, aut res creatas transformare polleret? Quod ſi limitata dæmonis poteſtas eſt, multò magis hominum. Quorſum igitur nequiſsimus ille mendaciorum parens ea malè credulis ſpondet, quorum copia penes ipſum non eſt? quorſum homines impudentiſsimo nugatori impoſsi-

2.
3.
4.

5.

An aliqua ſatanæ poteſtas in uito Deo? Neg.

bilia promittenti fidem habent, nisi forte sanæ mentis impotes? At cum nemo velle videatur ea, quorum potestatem sperare nequit, secundum Iureconsultos; fascinatores etiam nō tam velle maleficia, quàm perperam cogitare; neque cogitationum inconditarum pœnam iure demereri, sublumendum censeo Sed ipsa nunc incantatorum & fascinantium facta, num vera sint, accuratiùs contemplabimur Fama est, quosdam incantamentis loca remotissima brevissimo tempore adire: cum amasijs ibi commessationes, choreas, concubitus exercere, se vel alios in beluas mutare, pueros devorare, aliaque crudelia perpetrare posse: quinetiam sidera extinguere, aërem turbare, pluvias, grandines, fulmen evocare, vineas ac fruges devastare. Damnantur hoc nomine singulariter Lamiæ Verùm quàm sint hæc rationi adversa & eventui contraria, paucis declarabo. Quamvis enim inficiari nolim, corpora quoq; hominum impiorum quandoque vi dæmonis, qui Dei simia est, per aërem surripi ac deferri posse: non aliter, quàm vectore ange-

Deliramenta sagarum.

An homines a dæmone per aerem deferri possint? Affi-

lo pro-

gelo prophetæ Habacuc ex Iudæa in Babylonem ad alendum Danielem, Dan. c. 14. & Philippus à conſpectu Aethyopis, reginæ Candaces præfecti, quem in via docuerat, Azothum translatus eſt: Act. cap. 8. ſicut vi ventorum ingentes aliquando lapides ſublatos decidiſſe, cœlumque lacte ſanguine, carne, ferro, lana, prius aliunde ſurreptis, pluiſſe refert Plinius: l. 2. c. 38. 58. tamẽ an Sagæ vel alii incantationis aut rerum naturalium adminiculo per aerem breviſſimo temporis articulo longiſſimè ſubvehi poſſint, valde dubium exiſtimo. Quid enim virium tam abſurdis ineſt inſtrumentis, puta ſcopis, furcis, ſudibusq; præuſtis, ad evolandum? quid unguentis precibusq; ſtygiis ad hos aereos volatus? ſicnè corporum gravitas deponi poteſt, ut in momento tot millia paſſuum decurrant? annon illa violento raptu ſuffocarentur, reſpiratione præpedita? Probabilius videtur, quod in iis iudicium laboret, ac phanthaſia decepta ſomniis. veritatem ſubeſſe falſo opinetur. Suadet hoc unguentorum, è ſomniferis, ut ſolano, cicuta, papavere aliisq;

1.

2.

3.

An virtute incãtationum homines per aerẽ volare poſsint? Neg.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

paratorum efficacia: ſuadet eſculentorum flatulentorum, ut fabarum, caparum, leguminum & lolij uſus, quæ partim ſoporem altum, partim quoque ſomnia aëria & melancholica producunt: 7. ſuadet experientia, quæ ſæpius probavit, eiusmodi homines loco motos non eſſe, ſed in conclavibus inſtar ecſtaticorum jacuiſſe concuſſis interea pro ſomniorũ impulſu variè corporibus. Quid eorũ convivia, quid tripudia referam? quæ ſunt æquè imaginaria. Latrantem enim præ fame & ſiti ſtomachum, quando ad ſe redeunt, phantaſticis nihil ferculis exſatiati, perſentiſcũt. Saltationis ideam in eorum animis excitat vel humoris melancholici fervor; vel ipſe dæmon. Idem de Venere Lamiarum, quam cum ſponſo phantaſtico exercere profitentur, pronunciandum. Spiritus enim cui neque caro, neque ſanguis, neque membra generationi famulantia conceſſa ſunt, quomodo coire deſideraret? qui cibo non reficitur, unde cibi ſuperfluitatem ſemen, unde pruritum libinis haberet? immortalis an ſucceſſorem cuperet? incorporeus num in comple-

An lamiæ cũ ſpectris diabolicis epulentur? Neg.

An verè choreas ducant? Neg.

An Venerem exerceant? Neg.

1.

2.

3.

4.

xum

xum corporis venire posset? & si generaret, nonne sibi similem potius spiritum, quàm corpoream substantiam produceret? Quo dato jamdudum omnia dæmonum plenissima forent. Objiciet tamen aliquis: multas sagas congressum satanicum expertas esse, ac peperisse: non igitur imaginariam, sed realem Veneris illius videri actionem. 1.

6. Quid ad experientiam respondẽdum.

Concedo, Melancholicas ac pituitosas mulieres supinè recubantes incubo vexari, præstigijsq; Venereis deludi posse: sine tamen semine masculo concipere, fœtumq; corporeum excludere, non admitto. Falsum enim est, quod aliqui prætendunt, semen viro vel demortuo vel vivo subductum, in matricem inseri, causamque impregnationis fieri posse: quandoquidem demortui semen spiritu vitali, qui generationis autor est, destituitur: surreptumque è vivente, quamprimum extra propria concepta cula fertur, mox genitalem vim expirat. Et quot animantium confusiones ac mõstra forent eventura, si diabolus aliquibus bestiis aut hominibus semen incorru-

An diabolus possit semen. suppositicium offerre efficax? Neg. 1. 2.

3.

An lamiæ exſuccubo dæmoniaco pepererint? Neg.

ptum furari, aliisq; ſupponere valeret? Si quando igitur Lamiæ peperiſſe viſæ ſunt, partum vel imaginarium fuiſſe, vel ſuppoſiticium, credibile eſt. Sed gravioris opinio difficultatis excutienda: num homines faſcinando vel incantando ſe aut alios in beſtias mutare verè poſsint. Si enim poetarum autoritati ſubſcribendum, de ſocijs Vlyſſis in beluas mutatis hæc refert, Maro. l. 7. Aeneid.

Quos hominum ex facie Dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus & terga ferarum

De Lycaone in lupum converſo ſic infert Naſo: l. 1. Metamorph.

Territus ipſe fugit, nactusque ſilentia noctis
Exululat, fruſtraque loqui conatur:

An homines incantamẽtis in beluas mutari poſsint? Aff. aliqui.

Si relationibus hiſtoricis aliquid fidei dandum; Plinius autor eſt, l. 8. hiſt. nat. cap. 22. Demarchum deguſtatis pueri extis in lupum ſe convertiſſe: Diomedis quoque de bello Troiano redeuntis ſocios, multis attritos periculis, in volucres tandem tranſmutatos: l. 10. c 24. Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap. 18. in Italia ſe audiviſſe refert, mulie-

res quasdam ſtabularias cõvertiſſe præ-tereuntes hoſpites in iumenta deguſtato caſei veneficio, ut oneribus deportandis inſervirent. Sic Præſtantij pater factus Caballus; Apuleius, aſinus, recenſentur.

Atqui monente Horatio,

pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Contrã Neg.

Hiſtorici quoque, multa narrant aliter, quàm geſta ſunt, hieroglyphicis veritatem involventes. Interpres Boetii l. 4. de conſol. philoſ. metr. 3. D. Thomas innuit, ſocios Vlyſſis gula, voluptate & ebrietate corruptos humanam exuiſſe naturam, alios q; apros ob libidinis fœditatem, alios leones, ob iracũdiam, alios canes, ob litigandi ferociam, alios lupos, ob alienarum opum raptus, alios cervos ob timiditatem, alios aſinos, ob ſomnolentiam æſtimatos. Lycaönem crudelitatis pœna, inſaniæ lupinæ affectu divinitus correptum; Demarchum ſemel puerorum, hoc eſt, innocentium ſanguine contaminatum, poſtea lupum ſeu tyrannum evaſiſſe? Diomedis ſocios ob inconſtantiam & levitatem à domi-

no defeciſſe, ideoq; aves nuncupatos, à vero diſſentaneum non eſt. Divus Auguſtinus non tàm fidem, quàm aures fabulæ præbuiſſe videtur. Idem ait, Præſtantium de ſuo parente retuliſſe, quod ex veneno ſomnum profundum ceperit expergefactus verò ſomnia narraverit, ſe caballum fuiſſe, & clitellas onerarias atque annonam inter alia jumenta bajulaſſe. Luciani verò de Apuleio in aſinum converſo figmenta nō moramur. Quid igitur de talibus μεταμορφώσεσι *ſtatuendum? Prorſus, illas naturæ adverſari.*

An hominum trāsformatio ſubſtantialis. ſit poſsibilis? Neg.

1. *Quomodo enim homo, divinæ imaginis character, immortalis animæ domicilium, ſancti Spiritus templum, adeò deformari poſſet, ut venuſtate corporis elegantiſsimi depoſita ferinum habitum intelligenti animæ inceptum reciperet, &* ἄλογον *beſtia fieret? annon ſubiecto corporeo mutato formam quoque ſubſtantialem exui neceſſum foret? quod tamen fabuloſæ tranſmutationis defenſores negant: an*

2. *ſuperſtite forma, quæ* τὸ εἶναι *rebus largitur,*

3.

immutari materia, rebusque diversum nomen indere posset? Qua vis humana vel diabolica corporis erecti membra sic ad terram incurvaret, ut cum lupis, canibus aut ursis quatrupede cursu decertaret? qua potestas staturæ grandis ac gravis ossa sic in angustum contraheret & allevaret, ut cum felibus ascendere parietes, cum avibus volitare sufficeret? O ridicula fanaticorum deliramenta, quæ vel melancholia vigilantibus, vel somnia dormientibus offundunt! Si dæmon hanc perversitatis artem calleret, jamdudum omnes homines in talpas, ne DEI magnalia cernerent, aut in fungos, ne verba salutis audirent, aut in pisces, ne Creatorem prædicarent; scordium in napellum; vinum in venenum, ne mortalium usui commodarent, convertisset: ac nihil boni intentatum reliquisset. 2. 5. 6.

Quid verò sceleratius cogitari potest, quàm diaboli potentiam DEO omnium conditori exæquare? 7.

An Magi Pharaonis vera miracula fecerint?

Producunt hîc aliqui Magorum Aegyptiacorum portenta, quæ coram Pharaone incantando præstiterunt, serpentes è baculis, ex aqua sanguinẽ faciendo, miracula Mosis imitati. Exod c. 7. Sed quid cæcis cum speculo? Moses quidem iussu DEI, cui nihil est impossibile, verum draconem è virga proiecta; merum sanguinem aquarum loco; ranas, cyniphes è pulvere terræ, muscas ulcera de cinere camini, grandinem locustas & alia verè effecit, Exod. cap. 8. 9. 10. non tamen ita Magi: qui neque pediculum (salvo pudore) neque muscam verbis magicis elicere potuerunt, cum in baculo nulla sit ad coluri productionem potentia; nullaque ad sanguinem. Præstigiis itaque hi Pharaonem deceperunt, ut phantastica spectans animum magis obduraret. Hinc aspis Mosaicus ἐνεργητικώτερος, *reliquos devoravit, ut à veritate mendacium vinci pateret. Et quomodo vera proferre corpora potuissent, cum ranas, pediculos, muscas abigere nequirent? Quod si maximè, serpentes magorum veros fuisse, quis urgeat: à satana tales incredibili celeritate bacu-*

Vt Moses.

Neg. 1.

2.

3.

4.

5.

lis amotis, ſuppoſitos recto ſuſpicandum. Expugnata nũc ſubſtantiali Magorum ac dæmonis transformatione velut umbra, ſimul diffugit opinio, qua maleſani λυκάνθρωποι *imaginantur, ſe pueros devorare, aliaque nefanda committere. Depravatæ enim imaginationi tales actionum formæ licet nuſpiam fiant, profundiſsimè imprimuntur.*

An lycãthropi pueros devorare poſſint? Neg.

Adhæc maiora faſcinatoribus delicta imputantur, quod manes ſublimare, Deos infirmare, ſidera extinguere, ipſumq́; tartarum illuminare poſsint, ut Apuleius lib. 1. de. aſin. aureo. loquitur. Sic apud Flaccum Canidia gloriatur: lib. Epod. in fin.

Deripere Lunam vocibus poſſum polo meis,
Poſſum crematos excitare mortuos.

Sic Medea apud Ovidium ſe iactat: lib. 7. Metamorph. fab. 2.

Stantia concutio cantu freta, nubila pello.
Et ſylvas moveo, iubeoque tremiſcere montes
Et mugire ſolum, & manes exire ſepulchris:
Te quoque Luna traho &c.

Sed hæc vana poetarum commenta ſunt: quibus Hippocratem longè divinius lib. de ſacro morbo diſſerentem opponimus: Si inquit, homo carminibus Lunam deducere cœlo, ſolem obſcurare, & tempeſtatem vel ſerenitatem facere poſſet, tum certè divina potentia conſilio humano ſubiecta, in ſervitutem veniret, quod profari nefas eſt. Aglaonice quidem, referente Plutarcho, Aſtrologiæ perita mulier, futuras Lunæ eclipſes prænuncians, Lunam præcantatione cœlo deducere mulierculis viſa eſt: ſed hoc artis præſagium fuit, non Magiæ effectum. Quamvis etiam diabolus ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος à D. PAVLO nominetur: abſolutam tamen agendi facultatem non habet, ſed ex DEI permiſſu cuncta adminiſtrat, ſicut hiſtoria IOBI teſtatur: multo verò minus homines dementes eam ſibi vendicare vim in aſtra & elementa debent, ut hæc ſibi ſubiugare præſumant. Si enim hominis affectus in hominem cognatum ac proximum efficaciter agere nequit, ut Scaliger oſtendit, Exerc. 349. ſi malitioſis imprecationibus à maleficis

I. Obiectio.

Diluitur.

II. Alia ſolvitur.

1. An hominum in cœlos aliqua ſit poteſtas? Neg. 1. 2. 3.

leficis aut dæmone in alium factis eventus non respondet, ut Wierus probat: quid efficaciæ carminibus erit in aerem aut sidera remotissima? quid potentiæ silicibus à tergo versus occasum protectis ad grandinem? quid arenæ in aerem sparsæ ad siccitatem? quid aquæ, cum scopis irrigatis versus cœlum profusæ ad pluviam excitandam? Nugæ sunt, quibus animos incredulorum sibi dæmon arctiùs illaqueat tempore futuræ tempestatis, quam ipse propter ingenij celeritatem, memoriæ firmitatem, experientiæ longitudinem facile præsentiscit, indicato; permotisque lamiis ad varias ineptias, quibus excitari tempestates, aliosque sibi exosos lædi, quibus aliàs pœna divinitus impendebat falsò persuadentur. At bone DEVS, si liberum agendi Cacodæmonis esset arbitrium, quid incorruptum in vineis, agris, hortis supereſſet, quis hominum salvus maneret? si tanta fascini potentia, cur non ad hostes trucidandos, ad urbes expugnandas, ad copias TVRCARVM profligandas eo potius,

4. Dæmon, opt. tempestatũ augur.

5.

6.

quàm

quàm tormentis bellicis vel alio apparatu uteremur? nonne cõtra nos Christiani nominis hoſtes incantando militarent? Sed huius opinionis falſitatem experientia, qua nihil certius, ſatis refutat. Ad alteram igitur ſignorum probabilium claſſem tranſeo.

An faſcinum fiat per certa media? Aff. quidam. 1.

Reperiuntur, qui incantationis ἐνέργειαν ad media quædam inepta referũt, iiſq́, ſive præſtò ſint, ſive diſtent, iuvandi ſeu ladendi robur non exiguum aſſignant. Ita ſi quis ligamen ſubligaculi anterius furtivè ſubtractum aut lupi virgam in alicuius ſponſi nomine liget, hunc Veneris impotem reddi tradunt: ſi 2. quis aſpidem his verbis acclamet: Semen mulieris conteret caput ſerpentis; illum ſiſti torpentem: ſi quis ignem certis 3. precatiunculis adiuret, hunc ligari, ut ad combuſtibilia progredi nequeat: Sic apud Homerum Odyſſ. 19. Autolyci filij ſaucia- 4. to Vlyſſi

ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον, hoc eſt, incantatione ſanguinem inhibuerunt, Verùm hæc naturæ vires ac fidem ſuperant, ac vel ficta ſunt, vel, ſi reſpondent eventus, ex impia

Contrà Neg.

credu-

credulitate, ſatanæ colluſione, occultoque Dei permiſſu proficiſcuntur. Eodem quoque modo ſterilitatis cauſam coniugi infligendam aliqui opinantur, ſi coluber ſub oſtij limine, quod marita pertranſit, repoſitus ſit: at hoc ſi certum, cur iis in locis, ubi magna ſerpentum frequentia domos pervagatur, non omnes fœminæ ſterileſcũt? Quod ſi pharmacis aut aliis rebus vilibus, ut ſunt ſanguis, lotium, capillorũ aut unguium præſegmina, certo in loco ſepultis arcana vis incommodandi ſubeſt, eam inferent aut halitu veneno ſo ſecundum naturam: aut abſque illo præter naturam. Si per halitum virulentũ corpora tangunt & afficiunt, cur non indiſcriminatim cuncta, quæ illis proxima ſunt, oblædunt? quî fit, quod ad certas ſolum perſonas, quaſi cũ delectu agerent, inanimata tamen & diſcretionis expertia dirigũtur? Sin præter naturam aliquid operantur, ipſa per ſe nullius ad agendum erunt momenti, ſed ab alio movente, ſive à Deo ſive ab angelis bonis malisvè recipient agendi virtutem. Nihil quidem ſine Dei beneplacito contingere certum eſt: quare in

An reb. naturalib. faſcinum aſcribẽdum? Neg.

1.

2.

his arcanis etiam τὸ θεῖον haud abest, vel ad hominum ἀπιστίαν puniendam, vel ad piorum constantiam probandam. Bonos verò angelos operum pravorum administros non incusamus. Quocirca solius hæc satanæ ludibria sunt, homines sibi commissos ita fascinantis, ut falso sibi ea, quorum effectores esse nequeunt, arrogent, nugisque vehementiùs confidant. Dementantur eadem forma Striges, ut vicinis lac fucari, éque juncis vel aliis rebus emulgere sibi proponant: Quod enim junco raro & exucco naturaliter non inest; illud mediante præstigiatore tartareo, qui fucum oculis facit, & aliundè surreptum lac insensibiliter affundit, exprimere laborant. Interea si vaccæ lacte carent, id arte fit eiusdem impostoris, qui vel ubera pecorum clam exugit, vel eorum canales ita constringit, ut nihil remittere possint. Erotica tandem pocula φίλτρα dicta, num speratum queant inter dissentientes amorem conciliare, non est, ut multis refellam. Cum enim ea, quæ illecebræ gratia propinantur, virulentam pleraq; naturam possideant, ut Hippoma-

An Striges è jũco lac emulgeant? Neg. 1.

2.

3.

An philtra naturaliter amorem eieant? Neg.

nes,

nes, Arist. lib. 8. de hist. animal, lupi virga, stellio, cerebrum felis & lacertæ: potius insaniam & furorem, quàm sanum amorem inflammabunt: id quod autoritate & historiis, si tempus pateretur, demonstrari posset.

Sed ad alias paulum circumstantias, quæ fascinandi vel incantandi studium amplius determinant, oculos convertemus.

Infantes & pueros incantamentis facilius oblædi, constat, & inprimis venustiores. Illos quidem cum propter corporum molliciem & imbecillitatem, quæ citò virus imbibũt: tum propter sanguinis tenuitatem & levitatem, qui minus resistit. Tardius enim sanguis crassior & melancholicus impressiones admittit. Venustiores autẽ frequentiùs effascinari, vel quia maiorem in se trahunt invidiã: sed φθόνῳ ἀμιθόμενῳ τὰ καλὰ, *secundum Pindarum Pythior. hymn. 7. vel quia laudati præ lætitia cor expandunt, & unà spiritus ad faciem ac totũ corporis habitum effundũt, ut fascini cõtagium facilè suscipiant. Veriùs tamẽ ex*

An infãtes facilius obnoxij fascino. probl. 1.

2.

3.

4.

Limitatio.

acciden-

accidente contingit hoc infantibus. Εὐεξία *enim* ἐπ' ἄκρου σφαλερή, *ut inquit Hip. l. 1 aph. 3 quiq; nitidiores ſunt, bona ſua debent habere ſuſpecta, ſecundum Celſum. Infantes igitur ſanguinei & plethorici facile magna poſſunt incurrere pericula, quorum cauſas vulgus ignorans laudatores quaſi faſcinatores accuſat. Iniuſtè tamen.*

Cur fœminæ citius incantatione moveãtur? Aff. 1. 2. 3.

Meticuloſos etiam & cumprimis fœminas citius incantatione corripi, largiter annuimus, & propter imaginationis languorem, quod hic vires quoque corporis enervet; & propter incredulitatem, cuius illi pœnam ſibi acceſſunt. Nihil addam de procuratore Stygio, qui nullam infirmis nocendi occaſionem prætermittit.

An piis obſit incãtatio? Neg.

Piis tamen, Deoque confiſis hominibus neque dæmon, neque mali huius ſatallites incantando noxam inferre poſſunt. Maior enim eſt omnipotentis Iehovæ erga fideles protegendos voluntas, quàm totius regni ſatanici vel maximè invidi adverſus homines poteſtas. Accuſantur nihilominus aliqui, quod ſuaſu dæmonis quibusdam vel pecoribus vel hominib. etiam longè

abſentibus accerſere morbos, rurſumque demere poßint, vel imprecatione & faſcino, vel venenis.

Imprecationis & faſcini potentiam ad morbos infligendos inefficacem putamus: quid enim his ſuſurris aut ludicris machinationibus interior corporum animatorum διάθεσις, *quæ ſanitatis aut morborum fundamentum eſt, labefactari? quid externæ cauſæ, non naturales intelligo, commoveri queunt? Sed, inquies eventa convincũt: plurimos ita corrumpi, manifeſtum eſt. Arbitror, hæc aut per accidens fieri, quando ſatanas ægritudines aliàs per ſe futuras prævidet ac ſuis aſſeclis ita perſuadet, ut hæc vel illa moliantur, cauſa effectus, qui aliàs ſequeretur, evocandi: aut veneficio, quod nunc alimentis, ſi divinitus conceſſum, permiſcet; nunc exterius aeri inſpirat. Hinc animalia concitat ad prodeundum per loca putridorum ac virulentorum halituum, quibus ſpiritus ac humores coinquinantur, plena: vel unguentis aut pulveribus peſtiferis clam perniciem efflantibus, obvia quæque corrumpit. Sanare verò morbos dæmon & huius mini-*

An morbos inferre poſſit faſcinum? Neg. 1.

2.

3.

An Incãtatio-

morbi posint curari? Neg. 1.

ſtri per ſe neque volunt, neque poſſunt. Cur enim vellent hominibus prodeſſe, quos maximè oderunt, niſi maioris incommodi ſpe, ut corporis afflictione ſoluta, vim animabus inferant? Quomodo κακοποιητὴς *& homines perverſæ mentis aliquid boni præſtarent, niſi naturalibus remediis & alexipharmacis uterentur?* 2. *aut niſi morbos, quos prius excitare crediti ſunt, abſiſtendo levarent? Quod ſi* 3. *quid virium incantationibus in curando tribuendum, phantaſiam talibus impelli, ut ſpiritus ac humores ab adfecta* 4. *parte revocet, cauſaq; remota* δευτέρως *effectum amoliatur, eſt veritati conſonum. Plures enim ab illo curantur, in quem plures confidunt, ut habet, ex Galeno l. 1. prognoſt. t. 2. Avicennas. Tantum ineſt virtutis intenſæ phantaſiæ.*

An ſit aliqua vis naturalis τῆς ὁπλιατρείας? Neg. 1. 2.

Quid ſtatuam de unguento armario, quo ad gladium concinnè applicato, vulneribus etiam longè abſentis medelam Paracelſiſtæ pollicentur? Flocci pendendum arbitror. Diſtans enim à ſauciato, quomodo paſſum abſque contactu tàm virtuali quàm actuali juvaret? quorſum, ſi quid efficacitatis haberet

ὁπλόχρισμα non potiùs læsæ parti, quàm telo illæso adhiberetur? nonne si vis sanativa à telo obligato ad membrũ vulneratũ egrederetur, prius aërẽ alteraret ac sanativum redderet, longaq; locorum intercapedine ac tempestatum vi dissipata deficeret? Sin incolumis eò perstringeret, cur ad unam duntaxat partem inclinaret, cum in pluribus spiritus ac sanguis exuberent? Motionis certè principium ineſt mobili, & νοῦσων φύσιες ἰητροὶ, secundum Hippocratem, l. 6. Epid. sect. 5. aph. 1. Natura verò internum est principium: non igitur externo telo inhærebit: vel quomodo arte factum effectus per se naturales absque contactu producet? Sed esto: quid unguento sanguis humanus miscetur, qui putrescens veneni malignitatem assumere & vulneribus obesse secundum Chirurgorum placita censetur? Quid? quod obligatio teli planè superflua: quid enim juvaret, lapidem, quo quispiam percussus est, obligare? Vulneris tamen ligatura, quæ sanguinis affluxum cohibet, spiritus & calorem nativum tuetur, aeremque corruptivum & alias

2. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

iniurias unitioni adversas avertit, non parum refert: ut & ablutio, quæ per urinam facta sordes detergendo vulnera emundat, quæ postea facile, modò levior a fuerint, consolidantur. Nullius igitur precij litum armarium telorumque vincturam rectè æstimamus. Sed propiora Naturæ organa, quibus inferri fascinum posse, vulgo persuasum est, non prætereunda. Sunt qui naturalem fascini actionem à virulento quorundam effluvio fieri proclamant, sive hoc per oculos, sive per linguam, sive per contactũ alijs imprimatur: Alex. Aphrod. lib. 2. prob: 50. cuius halitu teneriores maximè plantæ pueriq; imbecilliores facile conspurcantur, ac nisi remedia præveniant, in tabem resolvuntur. Spiritales enim ἀποῤῥοίας tàm exanim alium, quàm plãtarum corporibus emitti continenter, & vicina quæque per aërem, quem prius alterant, modò fœcundare, si salutares; modò destruere, si malignæ fuerint, non obscurè monstrant. Ita rutam ficui consitam pulcherrimè nasci, propter calidum huius effluvium, quo illa fovetur, Aristoteles sect. 20. probl. 18. tradit: car-

An fascinatio fiat per effluviũ secretũ? Aff. aliqui.

nem gallinæ inter ficus ſuſpenſam ἔυπεπτον *reddi, propter vaporem inciſivum, quem ficus expirant, autor eſt Plutarchus: lib. 6. ſympoſ. cap. ult. à pennis aquilæ pennas aliarum avium commiſtas abſumi, probat Aelianus lib. 9. de animal. c. 2. Eadem ratione nocivos quoq; effluere halitus non ſolum ex oculis, verùm etiam ex ore & toto corpore quorũdam animalium, quibus, velut à præſente veneno offenduntur ac interimuntur plurima, non eſt à vero alienum.*

Intuitu quidem faſcini virus efflari & aliis immitti, Virgilianus Opilio eclog. 3. conqueritur, inquiens:

Neſcio, quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

An per aſpectũ quis faſcinari poſsit?

Baſiliſcum viſu homines enecare; fœminasq; menſtruatas ſpeculum inquinare, & ſibi ipſis ex viſualium radiorũ reflexione faciem deformare quinetiam vitibus tenellis ac novis herbarum germinibus perniciem afferre, Plinius lib. 29. nat. hiſt. cap. 4. & lib. 7. cap. 2. & 15. conſignavit. Aſpectu itaque fixo maleficarum, quibus oculi ſatanico ſunt imbuti veneno, quoſdam infici poſſe multi

conjectant. Illa tamen virtutes rerum insitas unicè propugnant, neutiquam verò fascinum inferunt. Quamvis enim occultas quorundam ἀποῤῥοίας admittamus; qualem ruta ad bufones abigendos, ficus ad rutam fœcundandam, carnemq; gallinæ maturandam; pennæ aquilinæ ad pennas aliarum avium consumendas possident: hæc tamen fascinãdi dotem non evincunt. Ex oculis enim spiritus visivi tantùm emanant, non vero venenati: aliàs sibiipsis quoque nocumento forent. Opinionem itaque pastoris Virgiliani dubiã relinquimus.

An Basiliscus visu enecet? Neg.

Basiliscum non tam visu, quàm perniciosissimo veneno, quod è toto corpore expirat, obvia quaque plantas, arbores, animalia, volucres prætervolantes pessum dare, terramque ipsam polluere & exurere, notant autores fide digni. Albert. Mag. l. 25 de anim. Gesner. l. 5. de serpent. cap. de basil. De menstruatis mulieribus, quibus illa sanguinis eluvies παρὰ φύσιν retenta putrescit, ac viro sam qualitatem assumit, largimur, quod halitum exitialem potiùs è corpore, quàm oculis, emittant: non tamen de omnibus, quibus ille sanguinis flos natu-

An mẽstruatæ fœminæ noceant oculis? Neg.

raliter erumpit. Quare ſolo obtutu communicari faſcinum, inſiciamur.

Occlamant porro alij, quod ore verbisq; maledicis, aut diris imprecationibus, hominis lingua veneno mortifero, ſecundum D. Iacobum, in epiſt. cap. 3. plena, poſſit alijs faſcinando exitia moliri. Quapropter ſerpentes à natura edocti, ne vocem incantantium audiant, aures obturant, ut ex 58. Pſal. colligitur. Eiuſmodi in Africa familias fuiſſe ſcribitur, qui ſi voce & lingua pulchras arbores, ſegetes lætiores, equos generoſiores, infantes venuſtiores laudabāt, effaſcinando lædebāt, ſi Plinio l. 7. nat. hiſt. c. 2. & Gellio l. 9. c. 2. ſubſcribendum.

Tuccia, Veſtalis fœmina, inceſtus accuſata, precationis ope tulit in cribro aquam, eodem Plinio l. 28. natur. hiſt c. 2. teſtāte, qui plurib. ibid. exemplis verborū efficaciā extollit. Inveniuntur, qui verbis feras ſiſtunt, ne teli iactū effugiant: qui rattos quovis loco viſos tacito ſuſurrō ſtupidos reddūt, ut manu capi et ſtrangulari poſſint. Vidi quendam, ait Fernel. l. 1. de abd. rer. cauſ. c. ult. vi verborū ſpectra varia in ſpeculum derivare, quæ illic, quæcunque imperaret, mox aut ſcripto aut veris imaginib. ita dilucide

An Incantatio verbis aſcribenda? Aff. aliqui.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

exprimerent, ut promptè ab aſsidentibus internoſcerentur. An igitur ad Naturam verborum hæc effecta referemus? Haud exiſtimo. Nulla enim per ſe vis eſt quantitatis: nulla fit absque phyſico contactu & alteratione actio: nulla eſt accidentium per ſe ἐνέργεια, ſed omnis debetur naturali formæ. Verba autem ſunt quantitates & mera accidentia, nullam erga ſubſtantias contrarietatem, nullam alterandi qualitatem habentia, cum ſint artis, non ipſius naturæ opera, nihilq; inter agendum repati queant. Adde, quod ſi dictis agendi potentia inesſet, ipſe Deus cauſis eſſet ſecundis alligatus, quod profari nefas eſt. Quid? quod melancholici, quibus præter eloquia ſtupenda ſpirituum fixitas & attentiſſima phantaſia præſtò ſunt, opera miranda, quæcunq; cogitant, præſtarent? At nihilminus. Reſpondendum itaq; prioribus obiectis: quod D. Apoſtolus linguam veneno plenam dicat, originalis peccati fontem reſpiciens, nullatenus verò faſcinum innuens: aliàs omnes eſſemus faſcinatores. Aſpidum verſutiam contra incantamenta aures iuxta para-

Contrà Neg. alii.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Solutio priorum rationũ.

I.

II.

bolam obturantium pſalmiſta cum improbis verbi divini deriſoribus comparat, interim verò incantationes non defendit. Fr. Valleſ. de ſacra philoſ. cap. 3.

In Africa ſi fuerunt populi, qui laudatione pulcherrimis rebus exitium accerſerunt; non verbis, ſed præſagijs, vel inſtantia pericula denunciantibus, vel florentiſſima devoventibus hoc aſcribendum. III.

Quod inſuper mediante verborum vi Tuccia cribrum fecerit aquæ vaſculum: alij morbos exſulerint, alij beluas domuerint, retardarint, enecarint, ac deniq; in obſequium ſpectra cogere viſi fuerint: illa omnia non exſono dictionum, ſed miniſterio dæmonum profecta ſunt, qui ſe talibus ſymbolis alligarunt, viresq; ſuas in incredulis exercuerunt, ſive phantaſiam & oculos perſtringendo, ut falſa pro veris arriperent; ſive realiter eventum producendo, ut homines in ſuperſtitione dementatos magis confirmarent. IV.

An Dei verbo poſsit fieri faſcinatio? Aff. 1.2.

Inſtant adhuc quidam ſacrificuli, verbo Dei, quod eſt potentia ad ſalutem omni credenti, multa poſſe miracula præſtari: dolores enim dentiũ per hæc verba ſedari: Os non comminueris

exeo: *sanguinis fluxum sisti per illam pendentis in cruce Christi valedictionẽ:* 2.
consummatum est: *& plurima huius generis alia per fictos exorcismos, crucis picturam, ac S.S. scripturam sibi possibilia gloriantur.* 3.
Atqui Dei nomen prophanandum non est, cum in sacro codice non corporis medicina, sed animæ contineatur. Contrà I.
Et salus ac potentia verbi cœlestis non in literis vel in figuris (nihil enim collo suspensum, vel fronti ascriptum juvat) sed in intellectu ac fide consistit. II.
Animis igitur irradicatum, bonoque corde receptum sit dũtaxat salutiferum. III.
Aliàs diabolus oracula scripturæ prædicans à Salvatore non esset prohibitus: IV.
Luc. c. 4. & Iudæi per IESV nomen dæmonia eÿcere potuissent: Act. c. 19. Si quis tamẽ effectus prætextu sacri dogmatis & assignati crucis cõsequitur, is à dæmone male credulos de ludente depẽdet. V. VI.
Ea propter Gal. l. 9. simpl. medic. proœm. meritò Pamphilum detestatur, ac Dioscoridem laudat, quod hic utiles medicinas; ille deliras incantationes ac nugaces præstigiaturas literis mandârit.

Huc spectant annuli, imagines, cha- Animaginũ &

racteres, ſigilla ſub certo cœli poſitu efficta, variisque precatiunculis confirmata, quorum vis mirifica deiantatur, cum ad dæmones ac tempeſtates fugandas, morbosque, & alia infortunia depellenda, tum ad favorem hominum, bonosque genios conciliandos. characterum ſit faſcinandi virtus?

At unde tanta virtus artificialibus formis? num ab harmonia cœleſti? cur verò hæc absque illis non ageret? quod ſi manu factis influere poſſet, cur non omnibus fictilibus, ſtatuis, artificijs occulta vis ineſſet? Dices: poteſtatem verborum deſiderari? Quaſi verò verba naturalem corporum temperiem immutare, formales qualitates alterare; novasque rebus aſpirare poſſent. Neg. 1. 2. 3. 4.

Verba ſunt internarum ſolummodo cogitationum & affectionum indicia, nō verò cauſæ: & quid efficient? figuræ, characteres ac notæ in ſuperficie materierum hærent, non verò intima penetrant, non evidenter alterant, non purgant; & quid iuvabunt? Omnis eorum, ſiqua datur, efficacia, vel ex ſuperſtitione, quæ phanthaſiam ſpiritus ac humores concitat, adeoq; corpora hominū ſecundariò alterat; vel à cacodæmone, 5. 6.

pactionem cum incredulis initam obfirmante proficiscitur. Per contractum denique naturaliter aliis communicari posse fascinum, contendentes aliqui marinam torpedinem, quæ per arundinem & filum piscatoris manui stuporem; aliisq; piscibus quos devorandos appetit, adnatando torporem infert, ex Aristotele lib. 9. de hist. animal. cap. 37. producunt: ut & Remoram, quæ licet exigua, navis tamen, cui affigitur, impetũ hebetat ac sistit, eid. l. 2. de hist. anim. cap. 14. navigiis interim aliis impeditè præterlabentibus, ut Scaliger Exerc. 218. sect. 8. observavit. Ita Plinius lib. 26. hist. natur. c. 4. æthiopidis herbæ cõtactu clausa aperiri omnia, quibusdam solum cantilenis ad murmuratis, refert. Quæ si vera sunt, naturalem fascinandi dotem confirmare videntur. Atqui torpedo & Echeneis naturali quidem virtute, secretiore tamen, quod operantur, præstant: minimè verò fascini castra tuentur. Aethiopidis herbæ vim reserandi per contactum claustra, non à natura inditam sed magicam, si maximè inest, affirmamus: indicio sunt verba

An per contactum fascinatio fiat? Aff. aliqui.

Contrà solvantur argumenta.

I.

II.

admura

admurmurata, quæ ſatanicæ incantationis ſuperſtitionem arguunt. Si enim phyſica vis illius eſt, quid opus verbis ad effectum: qui tamen ſine illis non reſpondet.

Quid ultimò de gemmis, lapidibus, herbis, aut animalium partibus, quibus incantando ſpectra vel allici vel abigi vulgò creduntur, ſentiendum? Adamas enim ad faſcinum profligandum; Corallia ad arcendos dæmones laudantur: hypericum, verbena, palma Chriſti dicuntur expiare: ruta, ſatyrion & corium frontis hyenæ faſcini referuntur antidotum: capita luporum portis affixa, maleficiis reſiſtere, plebi perſvaſum eſt. O fatuã ſimplicitatẽ! Recténe quis infernales Furias herbarum vel gemmarũ virtute cogi, acciri, vel fugari putabit? cũ ſpiritus ſint incorporei, quomodo à terrenis movebuntur? cum ſint expertes ſenſuum, quomodo voluptatem aut dolorem ab iis percipient? Quod ſi talium præſentiam vel amare, vel abhorrere videntur, ita ſimulant aut ſtudio fallendi imprudentes, aut hoc fœdere ſibi devo-

An virtute gẽmarum aut herbarum peragatur Incantat. Aff. 1. 2. 3. 4.

5. Neg.

I.

II.

III.

tes confirmandi, aut optimas Dei creaturas infamandi. Nulla aliàs inter ſpiritalia & terrena intercedit ſimilitudo vel contrarietas: nulla poteſt inter hæc dari actio.

Explicatũ, ut ſpero, fuit, quid ex intentione ac poteſtate faſcinatorũ, vel incantatorũ, tàm ratione perſonarum atq; cauſarũ, quàm ex ſignis & circumſtantiis judicandum ſit: adiungi nunc poſſent leges divinæ & humanæ, quibus incantatoribus ac ſagis pœna decernitur; teſtimonia, quibus intrepidè innituntur: tormenta, quæ patienter & conſtanter ferunt; pacta, quibus ſe jureiurando dæmoni devinctos aliqui profitẽtur: verũ hæc magis ſcrupuloſa, nondumq; ſatis enodata, venerandis Theologis ac jureconſultis eximiis pleniùs ac planiùs examinanda relinquo. Mihi, quod hæc phyſicis huc usq; rationibus trutinavi, ſufficit.

DIXI.

ORATIO
De Imaginatione,
à
CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO Dn. HIERONYMO NYMANNO, Philoſ: & Medicinæ Doctore, ac Profeſſore
piè nunc defuncto
Publicarum in arte medica prælectionum exordio præmiſſa.

III. Calend. Decemb:
ANNO Chriſti
CIↃ IↃ XCIII.
VVITEBERGÆ.

NOBILITATE, ERVDITIONE, VARIARVMQVE RERVM VSV PRAESTANTISSIMO VIRO, DOMINO PETRO HAVNOLDO *Patricio Viatislavienſi, amico ſingulari, Salutem & amorem.*

TVas ad me, prid. Non. Octobris, anni præteriti datas, Vir clariſsime, literas accepi: quibus rupto multorũ annorum ſilentio poſt longas peregrinationes ad patrios redux lares mihi ſalutem veteris q; amoris vigorem renuncias. Næ rectè ſentis amorem amicorum ſincerum inter abſentes etiam temporis diuturnitate non obliterari: ſed inſtar carbonis in cineribus tumulati, ventis inſpirantibus exardeſcentis, occaſione data fortiùs inflammari. Tuis itaque reſponſum, ne temerariæ vel inconſtantiæ vel oblivionis inſimularer, mittere ſæpius optavi, eoq; lubentius, ut de Statu tuo certior, deq; ſcitu dignis apud exteros obſervatis à te eruditior fieri poſſem. At inſperato illius, qui tuas ad me detulerat,

abitu

abitu præventus, multisque interim aliis negotiis districtus, ad vos scribendi occasionem non audivi. Nunc hortatu & autoritate quorundam persuasus, quãdo meam DE FASCINO & INCANTATIONE dissertationem, & unà D. Hieronymi Nymanni DE IMAGINATIONE orationem publicæ luci committere constitui, de patronis contra malevolos eligendis cogitare cæpi. Succurrit verò tui memoria: qui D. Nymannum, dum in vivis ageret, non solum, ut excellenter doctum admiratus, ut humanissimum veneratus es, sed etiam defunctum insigni pietatis affectu prosecutus. Te igitur, optime Haunolde, huius DE IMAGINATIONE orationis, tanquam pupillæ tutorem elegi, ea fiducia, te erga hanc posthumam talem fore, qualis erga parentem extitisti.

Suscipe, precor, hunc demortui fœtum pro solita benevolentia, & à morsibus invidorum defende.

Sic beatis autoris manibus gratum litabis holocaustum; illiusque relictæ soboli magnum suggeres solatium: quinetiam si quod vota rogant, con-

ſequar amicitiæ nunquam inter nos morituræ pignus ita confirmabis. Bene Vale. Dab. VVitebergæ Calendis Auguſti, anno δεανθρώπου ϵ Iɔ. Iɔ. ϵVI.

T.

Tobias Tandlerus

Med. D. & Matthem.

P. P.

ORATIO
De
IMAGINATIONE.

CVM IN CONSESsum hunc augustissimum, coronamque splendidissimã oculos conÿcio, deq; vestra, Magnifice Domine Rector, Reverendi, Amplissimi & clarissimi viri, juvenesque humanissimi, excellente eruditione atq; præstantia, meaq; simul imbecillitate cogitationẽ suscipio: animadverto dicturo mihi, hoc loco non tam attentione, quàm favore & benevolentia vestra opus esse. Ad quam quidem hoc potissimũ vos allicere debet, quod non fiducia quadam ingenÿ aut ambitione aliqua adductus, in locum hunc ascenderim, hasq; dicendi partes arripuerim, sed ut sapiente consilio introductæ consuetudini, quæ ad publicum docendi munus accedentibus, hanc declamãdi provinciã imponit, satisfacerem. Me verò singularis humanitatis & æquitatis recordatio, qua alios hoc in loco constitutos antea complexi estis,

quamque privatim annos nunc multos mihi declaraſtis, in ſpem erigit optimã, ut adhuc eandem à vobis expectem, mihiq; pollicear: cuius expectationis de vobis fructum, ut me percipere & referre hodie ex hoc loco ſinatis, ea, qua par eſt obſervantia, oro. Dabo equidem operam, ut Deo adiuvante, id quod orationis copia & ſplendore à me præſtari nequit, eiusdem brevitate & argumenti iucunditate ſarciam. Dicam autem philoſophico & umbratili, non oratorio more, de miranda eius facultatis anima, quæ circa rerum imagines & ſimulachra verſatur, vi & efficacitate, ſeu de Imaginatione, quid primum ea poſſit & efficiat in ſanis & valentibus; deinde in ægris ad morbos excitandos, augendos & depellendos: denique an in corpus alienum ſeſe quoque illa extendere, eique vim aliquam vel nocendo vel auxiliando infundere queat. Occaſionem de hac materia cogitandi & diſſerendi præbuit mihi diſputatio medica, pubicè nuper habita, in qua inter alia hoc etiam problema diſcuſſum fuit, cur ad frequentem pannorum rubrorum

πρόταϛις.

διαίρεσις.
I.
II.
III.

ἀφορμὴ

conſpe-

conſpectum, ſanguis ad ſummam cutem ſe liberaliùs proferat. Ibi cauſa in phantaſiam, corporis humores ac ſpiritus miris modis impellentem atque agitantem rectè fuit devoluta. Sed cum ratiocinatio hæc alicui abſurda & à veritate ſeiuncta videri poſſet, altiùs hanc rem inquirendam & excutiendam duxi, præſertim cum inde quoque eluceat nõ tantùm, quãta ſit animæ in corpus, quod ipſa informat, virtus, quamq; elegans rerum diſparium unio & communio, ſed etiam quomodo Medicina vera ab ipſo Deo profecta, à ſuperſtitioſa curatione, quæ rebus quibusdã alienas & novas vires contra naturam affingit, ſeiungi & ſeparari poſſit.

Ariſtoteles philoſophorum poſt Platonem facilè princeps, cum de animæ virtutibus diſputat, præter externos ſenſus, aliam quandam vim internam cognoſcendi & externa obiecta dijudicandi conſtituit, eamque pro actionum varietate, in ſenſum communem, exteriorum quaſi centrum iudicemque; in phantaſiam, ſimulachrorum receptacu- Senſus interni tres.

lum; & in memoriam receptarum formarum conservatricem eleganter dirimit ac distinguit. Inter has meritò medium & præstantissimum locum obtinet phantasia, Græcis ἀπὸ τοῦ φάους, ἢ φωτὸς, à luce, Latinis Imaginatio & visio à visis, quibus vita animaliũ maximè regitur, dicta. Ab hac enim non brutorum modò animalium actiones & affectus, sed & ipsius hominis vita plurimùm pendet.

φαντασία unde.

Cum enim ad operandum nemo moveatur, nisi boni consequendi gratia, appetitusq; ipse à cognitione & specie per imaginationem concepta proficiscatur, fateri necesse est, de ipsa noticiam & desideriũ potiunda rei produci. Est autem facultas hæc omnibus animantibus communis, summaque ipsarum vis, cuius beneficio victum quærunt, nidos & latibula deligunt & extruunt, utilia prosequuntur, noxia declinant, & fugiunt, amica ab inimicis separant, futura præmeditantur ac præsagiunt, atque ad varia ingeniosè agenda & facienda apta sunt.

Quid?

Etsi enim nonnulli philosophi vermi-

An insebus

bus insectis & plantanimalibus, quæ sedem & locum suum per se non mutant, imaginandi vim omnem adimunt, quasi notiones & species eas, quas sentiendo concipiunt, non retineant, sed quicquid agant, temere agant & casu ferantur: tamen, si exactius ista examinẽtur & cum ratione perpendantur, à sobria philosophia prorsus aliena esse deprehenduntur. Si enim animalia illa sensus exteriores & vim sentiendi consecuta fuerunt, quod negari non potest, nisi è numero animalium eijcere illa velimus: imaginationem quoque eadem adepta esse, necessariò sequitur. Quibus namque Deus opt. max. vitam cum sensu dedit atque inclinationem ad utilia & grata sibi, & contrariorum odium: necessariò illis & facultatem tribuit imaginationis, qua & quæ contraria & utilia sunt, annotarent, cum sensus exteriores de obiectis suis judicium facere nequeant. Comprobat idem experientia, qua videmus, muscas & vermes nec amaris nec aquis se immergere, si prehenserint: & ad dulce

ctis & Zoophytis Imaginatio denegata?
Aff.
1.
2.
Neg.
1.
2.
3.

ſemel guſtatũ ſubinde concurrere: quin & crabrones cognoſcunt & proſequũtur, quĩ alvearia effoderint, & apes regem ſuum norunt & inſidiantes examinibus beſtiolas: quæ ſine imaginatione fieri nequeunt. Hoc verò negari non poteſt, quædam animalia fortiùs imaginari & retinere diutiùs ſimulachra; quædam vero obſcura & confuſa phantaſia prædita eſſe, cito ſpecies receptas abÿciente. Deprehendimus idem in hominib. quoq;, in quibus licet perfecta illa vis, utpote quæ rationis & libertatis particeps eſt, reperiatur: non tamen æqualis in omnibus eadem exiſtit, ſed quantum inſtrumenta quæ illi inſerviunt, vel vitiata, vel inepta, vel impedita ſunt, ita diſſimiliter illa etiam agit & munia ſua exequitur. Manifeſtum hoc fit in dormientibus primum ex inſomnijs, *in quibus ſpecies ex diurnis actionibus receptæ aut ex ſpirituum vaporumq; concurſu atque agitatione pro humorum redundantia excitatæ, imaginationem percellunt: unde varia ipſa comminiſcitur etiam abſurda & planè abhorrentia. Deinde* ex *Incubo & ſuffocatione nocturna, qua in*

Conciliatio.

Phantaſia aliis fortior, aliis debilior.

Cur?

Imaginationis effecta in dormientibus:

1. Somniantibus.

11. Incubo preſsis.

initio

initio somni plerumque & post crapulas ac supinum decubitum aliqui ita fatigantur, ut ab aliquo sibi incumbente aut mole quapiam corpori imposita opprimi se existiment, & à dæmone aut vetula muliere venefica suffocari imaginentur, fuliginoso nimirum & denso vapore nervos intercipiente, sinusq; ventriculi in cerebro opplente, animæq; nebulas & spectra obijciente. Præterea ex noctambulonibus, *qui profundissimo somno oppressi ambulant, culmina ædiumque tabulata perreptant, variaq; opera peragunt dormitantes, quæ vigilantibus accessu adituque essent difficilima. Anima enim cum nunquam quiescat, in somno quoque rerum idola & imagines format, quarum cognitione appetitus incitatur qui mox spiritus animales commovet, & in nervos spinalis medullæ detrudit, à quibus corpus, quod aliàs fervente sanguine spirituumque subtiliorum copia abundat, levius redditur, atq; ad insurgendum, ambulandum, operaque perficienda impellitur.* Adhæc exemplo Ecstaticorum, *qui velut rapti extra sese sensuque omni & motu*

III. Nychobatis

IV. Ecstaticis.

privati jacent, exanimis similes, & pòst ceu è profundissimo expergefacti somno, aut à morte ad vitam revocati redeunt ad sese, & mira commenta narrant, nimirum imaginatrice solummodo vigente, & varia, etiam peregrina, quasi per somnia concipiente pro natura humoris melancholici, cerebrum occupantis, aut diaboli suggestione. Non enim putandum, animas è corporibus egredi, & hinc inde circumvolitare, variaque loca peragrare: cum earum à corporibus vivis separatio & evocatio, rursumq; reditus & coniunctio in hac vita nullo planè modo, neque naturali neque diabolica virtute fieri possit: quod tamen de sagis, & lamijs nonnulli affirmant, qua se revera corpora reliquisse, aut etiam cum illis aërem tranare, catus magorum frequentare, commessationes & tripudia celebrare, aliaq; peragere videntur, qua utplurimùm somnia mera sunt & diaboli ludibria, φαντασίαν occupantis & prodigiosa phantasmata in somno impijs, superstitiosis & ad credendum proclivibus obijcientis, ut eos errore seductos à Deo avertat, & in aeternum

An anima possit egredi suo corpore ante mortẽ? Neg.

V. Sagis Lamijsque.

num præcipitet exitium: quemadmodum & de lycanthropis ſentiendum, qui ſe luporumſpecie circundatos, campos pererrare, in greges pecorum & armẽtorum graſſari, obvia quævis dilaniando, vel rapere aliquid ac mox priſtinam formã aſſumere, falſa perſuaſione credũt, cum tale malum vel ex prava humorum corporis diſpoſitione oriatur, vel diaboli, homines, ſalva corporis figura, dementantis, præſtigiæ ſint & deceptiones. Sed de his ulterius hoc loco diſſerere tempus non patitur.

VI. Lycantropis.

Conſiderabimus nunc, quid eadem Imaginatiò in vigilantibus poſſit. Experiuntur enim omnes, ſe pro arbitrio, quas velint formas, ſibi proponere & excitare poſſe, ac nunc aureum montem, nũc chimæram, nunc purgatorium, locum quendam medium inter vitam æternam & damnationem fingere.

Imaginationis effecta in vigilantib.

1. Omnia fingere poteſt.

Inprimis vero eam ſcientiarum omnium inventricem & propagatricem eſſe non tantùm artes mechanicæ & mathematicæ, quæ per ipſam acquiruntur, incrementum & perfectionem ſuã aſſequuntur, oſtendunt: ſed etiã Ariſtotelis

2. Mater eſt ſcientiarum.

testimonium, quod necessum sit eum, qui raciocinatur & intelligit phantasmata speculari : Hoc verò in confesso est, errata universa, quæ in vita contingunt, ex imaginationis vitio principia sumere.

3. Vitiorũ fons est :

Ambitionis.

Ambitionem consideret aliquis, nonnè eius parens & alumna est imaginatio prava, quæ præstare cæteris ducit, nulla aut virtutis aut meritorũ aut doctrinæ aut ordinis habita ratione ? Crudelitatis.

Crudelitatem & iram quid aliud parit & alit, quàm imaginatio ementiti & fallacis boni, quod vindictæ inesse arbitratur is, qui fervido sensu & imaginatione præcipiti fertur in contumelias vulnera, cædes ? Iræ.

Et quid aliud cupiditatem insatiabilem pecuniæ & avaritiam excitat, ut reliqua omittam vitia, quàm imaginatio, quæ ratione post habita iniuriam iustitiæ, libidinem continentiæ, mansuetudini feritatem, liberalitati avariciam & paci discordiam, anteponit. Avaricia.

Libidinis.

Cæterùm si ad nostrum ordinem scholasticum nos convertamus, nil minus incommodi videbimus ei à falsis imaginationibus provenire.

Hæresecon.

Vnde enim tam variæ tam multipli-

ces in

tes in omnibus doctrinarum generibus dissensiones & hæreses sunt, nisi à falla ci imaginatione? Nam, ut quisq; sensu & imaginatione propensus; ita eius de rebus iudicium est. Affectuum quoque motus satis evidentes sunt & obvij: inter quos tamen præ aliis timor firmas in nobis gignit imagines: post Amor. Timidis enim & meticulosis crebrius spectra obijciuntur, quàm fortibus viris, qui nunquam vel rarò talia cernunt, quod ob innatam & acquisitam constantiam talia minimè imaginentur. Quin & corporis constitutionem phantasia in timidis immutare solet, eosque in periculum sæpe deturbare. Ex præaltis despicientes locis ita nonnunquam caligine offunduntur, ut metu à phantasia excitato exuberante, corruant præcipites. In subito terrore non modò cor trepidat & subsultat, sed & arriguntur comæ ac vox faucibus hæret. Vnde lupo conspecto, raucedo. Tradit Lemnius, juvenem quendam formosissimum nobilem, in carcerem coniectum propter stuprum virgini illatum ac morti addictum, una nocte propter supplicij immi-

4. Imaginatio domina est affectuum.

Cur meticulosis sæpius spectra vidētur?

Cur aliquibus ex alto loco despicientib. vertigo obveniat?

Historia juvenis unâ nocte canescētis.

nentis

nentis intenſiſsimâ cogitationem & conceptam meniis formidinem repente totum canum factum eſſe, ita ut ſequente die à nemine eorum, quibuscum familiariter vixerat, agnoſci potuerit: quod ſpectaculum Carolum V. Imperatorem ad commiſerationem flexit, ut & vitam & veniam ei reddiderit, ſatis pœnarum ipſum dediſſe, ratus. Neque hoc mirum alicui videri debet, cum idem in animalibus quoque uſu veniat. Chamæleon enim ex paſſione timoris in varias maculoſasque notas pro nutu cutem ſuam transfert, ſi Ariſtoteli fides habenda. Theophraſtus etiam, Athenæus & Plinius ſcribunt, polypodem locis ſaxoſis ſe ſimilem efficere, idq; timoris cauſa & incolumitatis; vel ut in venatione fallat piſciculos. Magna ſanè vis eſt animæ & phantaſiæ in corpus, quæ ſi diuturnior & acrior vel intentior in rem quampiam fuerit, vitalem calorem & ſpiritum extinguit atque conſumit. Experiũtur hoc omnes, qui optimarum artium ſtudiis dediti aſſiduè ſunt, continenterque in meditationibus verſantur. Horum enim corpora ſenſim

Chamæleontis ſubita mutatio unde?

Polypodis item.

Phantaſiæ vehemẽtioris incõmoda:

Maximè doctis metuenda.

gracilescunt. Quod si non tantum profunda sit imaginatio, sed & gravis atq; acerba, partes etiam corporis floridum colorem amittunt, capillorumq́; radices, quæ vapore frigido aluntur, concepta sicca frigidaque qualitate arescunt & nativum colorem exuunt. Inprimis verò mortis horror, si quando hominem corripit, aut eius trepidatio mente cõcipitur, ipsa morte atrocior existit, quæ humani generis vindici ac servatori nostro, Christo sanguineum etiam sudorem expreßit multis quoq; omnẽ doloris sensum aufert: quod in iratis facilè est cernere, qui ex plaga vulneribusq; sibi illatis dolorem non sentiunt, quod eorũ animus res apprehendens & dijudicans omnis occupetur in lædendo alium, & se defendendo. Possent hæc fusiùs in alijs perturbationibus, ut gaudio, tristicia invidia, verecundia & amore explicari: in quibus spiritus & humores à phantasia nunc sursum nunc deorsum impelluntur, modo extra educuntur, modò intrò revocantur: nisi ad alia, de quibus nos dicturos promisimus, accedendum.

Mortis horror attocissimus.

Irati cur non vulnera sentiunt?

Vnum

Vnum saltem adhuc exemplum addã, lippis & tonsoribus notum de mulieribus gravidis. In his enim rei obiectæ aut mente conceptæ desiderium, contemplatio, terror, trepidatio & improvisa occursatio formam figuramq; illam fœtui imprimit, concurrentibus nimirum magno impetu humoribus & spiritibus, qui postea simulachrum illud sanguini infixum formant & elaborant. Hinc infantium maculæ, nævi, lentigines, lituræ, verrucæ & figuræ partium quarundam abhorrentes, nec non & monstra sæpe ortum suum trahunt. Hinc dissimilitudo in effigie: quæ minor in brutis est, quod conceptiones & formationes imaginũ in ijs similes magis sint & non ita mobiles atque vagæ, ut in hominibus. Hoc probè intellexit Iacobus patriarcha, qui virgas maculosas in coitus fervore gregibus opposuit, ut ad conspectum earum conciperent & maculosos fœtus ederent. Ac hæc de actionibus phantasiæ insanis: nunc quid in ægris eadem efficiat, cognoscite.

Fœtuũ signaturæ dispares unde?

Iacobi patriarchę prudentia.

Phantasiæ effe-

Constat experientia, multos morbos ab ipsa principium, incrementa &

mutationem ſumere. Exemplo ſunt melancholici, phrenetici & furioſi, qui propter imaginationem corruptam & depravatam mira & ridicula vident, narrant & peragunt, quos vulgus à malo infeſtoque genio divexari & agitari ſibi perſuadet, cum ab humorum ferocia, mentem ſpiritusq; turbante (ut & in ebriis interdum fieri ſolet) malum hoc proficiſcatur, ac dextrè adhibitis remediis ſedetur. Peſtis tempore multi, qui infectos & omnia illa, per quæ contagium communicari poteſt, diligentiſſimè declinant, præter opinionem corripiuntur, cum periculum ab omni obvio metuant & ſibi fingant. Vnde humores corporis aliàs ad venenum ſuſcipiendum apti, agitantur & inficiuntur. Ita.

ćta in ægrotantibus. 1. ad morbos inferendos: Melancholicis.

Timidis peſtifero tempore

Cum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi:

Ophtalmicis.

non tantum, quod oculo ab laborantis vapor infectus & corruptus ad prope aſtantem oculum protendatur & emanet, cuius contagione alter oculus coinquinatur, ſed etiam quia ſpecies illa ſenſui interiori impreſſa in corpore antea diſpoſito ex crebra repetitione & iteratione, ſanguinem ad oculum advocare

& extrudere potest, qui postea causa exi-
An sanguis à rubro colore moveatur? stit lippitudinis. Moveri enim san-
guinem rerum rubrarum intuitu & ob-
jectu, variolarum & morbillorum osten-
dit eruptio, ipsaque bruta comprobant.
Aff- Hæc enim colore rubro ita concitantur,
1. ut iram furoremque inde concipiant.
2.
Unde Persæ, quemadmodum habet
3. primus liber Machabæorum, soliti fue-
runt in præliis elephantos succo uvæ &
mori, qui sanguini effuso similis est, irri-
tare & ad pugnam provocare. Quod
& Vlpiano Iurisconsulto notum fuit, qui
4. in Institutionibus titulo de Obligationi-
bus, quæ ex delicto nascuntur, contra
eum, qui pannum rubrum ostendendo
pecus fugavit, ut in fures inciderit,
actionem furti dari concludit. Cum
enim sanguis naturæ sit familiarissimus
ac vitæ calorisque vehiculum, ipsiusq;
animæ in brutis sedes, meritò tam ani-
malia quàm homines eum, utpote the-
saurum optimum magnifaciunt ac reti-
nere studeant, eiusq; detractionem &
effusionem abhorrent & aversantur. Hinc
multi ad eius conspectum spiritibus alio
Cur aliqui à sã- tractis animo deficiunt, & bruta san-

guinis

guinis amiſsionem metuentia à rubro colore maximè offenduntur. Nam propter ſimilitudinem & cognatione phantaſia ſpeciem rubram oblatam diligentiùs examinat, perpendit & componit, ſpiritusque & ſanguinem allicit atque concitat, qui motu illo ſubtilior redditus ad partes externas maiore impetu fertur.

ſanguinis miſſione lypothymiam incurrant?

Quare vetant medici, ſpuentem aut fundentem ex naribus ſanguinem aut eryſipelate faciei aut ſuffuſione cruenta laborantem res rubras aut etiam ſanguinem intueri, timentes ne ſanguis amplius agitatus erumpat: jubent verò ad cærulea aut nigra potius oculos cõvertere, ut ipſe motus ita inhibeatur. Sicut autem morbi aliqui ab Imaginatione humores concitante & turbante initium capiunt: ita eadem quoque interdum ſanitatem amiſſam reddere poteſt. Animus enim ad alia verſus, ſpiritus & humores à laborante parte avocat, retrahit & diſſipat. Qua enim cauſa alia dari poteſt, quod nonnunquam optima remedia à medicis præſtãtiſſimis

Imaginatio quandoque morbos aufert. prob. 1. Ratione

rectè & commodè ægro adhibita optatũ finem ſuum non ſortiantur: leve autem aliquod experimentum indocti cuiuſdam ſubitò morbum tollat: quàm, ægri perſuaſio & fiducia, de qua eleganter Hippocrates: *plures ſanat, in quem plures confidunt: Et* Avicenna *inquit: Fiducia, quam æger de medico concipit, & arti & conſilio & omnibus medicinæ inſtrumentis præferenda. Hæc enim eſt, quæ ſubito iniecto terrore ſingultum & quartanam febrim curare poteſt. Hæc filio Cræſi muto ſermonem in bello reſtituit, ut militem patri exitium comparantem acclamaret: Miles parte Cræſo.*

2. Autoritate.

3. Exemplis.

Cur gravidæ & ægri ſæpe noxia innoxiè uſurpant?

Facit eadem, ut mulieres pica laborantes abſq; noxa carbones & calcem; ægri etiam interdum cibos prohibitos & nocituros devorent & abſumant.

An Galguli cõſpectus Icterum ſanet & quomodo?

Quæ enim magna alacritate atque avidè aſſumuntur, à ventriculo arctiùs comprehenduntur & faciliùs vincuntur ab excitato nimirum calore naturali & facultate inſita irritata. Icterũ ſeu morbum regium, teſte Plinio, Galguli avis conſpectus & cerei poculi in bibendo uſus avertere creditur: quod ob frequen-

tem illarum rerum intuitum phantasia concitata bilem propter similitudinem & sympathiam moveat, & ad corporis ambitū eliciat, quæ postea propter motū subtilior & tenuior reddita citius dissipatur ac resolvitur.

An articulares dolores leniat Musica Aff.

Nec alia ratio, quod Musica Ischiadicum dolorem, podagram & melancholiam tollere scribitur, inveniri potest, quàm quod harmonia & suaves soni animum suaviter reficiendo recreent & corroborent, affectus inordinatos sedent, quibus ad tranquillitatem reductis corpus quoque melius sese habet & pristino vigori suo restituitur.

An characterū sit aliqua vis & efficacia?

Idem planè sentiendum venit de characteribus, sigillis, annulis, imaginibus, ad certum siderum positum efformatis (quales fortassis Rachel patri suo Labano eripuit) schedis appensis, carminibus, benedictionibus, susurrationibus in aures ægrorum, ligaturis & aliis similibus, quæ ab hominibus curiosis & impijs nonnunquam ad curandos & præcavendos morbos adhibētur: cum huiusmodi vires neque à natura ipsis insint, neq; salva pietate ipsis ascribi queant. Quod enim sæpenume-

ro effectus sequitur, id vel ab hominum pendet superstitione & credulitate, quæ deceptionum mater est, & subitum spirituum ac humorum motum infert: unde vario fluctu rapitur sanguis, ac unà morbificas causas partibus affectis eripit: vel à diabolo, homines à contemplatione operum DEI abducente. Quid enim possunt verba dicta, scripta, aut cogitatione concepta, cum sint tantum voces effictæ ad rem aliquã significandam? Vnde etiam manu efficti characteres, effigies, annuli vel sigilla hac vel illa figura delineata sculptáve vel imaginibus ad certos cœli positus hoc momento & illo loco insignita, facultatem nanciscuntur suam? Nulla enim vis astrorum in ea, quæ manibus conficiuntur opera, infunditur. Nihil etiam virtutis accedit vel decedit substantiis, licet variis & divinis notis, nominibus aut scripturæ sacræ verbis ornentur, sed agunt omnia secundum eum modum, quem ab initio DEVS ipsis attribuit.

Non instituitur ibi nova iam qualitatum mistio, non materia nova &

essentia-

essentialis forma imprimitur, sed corpori antea conformato sua materia & forma conservatur ac arte tantùm nova effingitur species, ad quam nihil sidera, nihil eo tempore existentes in aëre qualitates conferunt. Quomodo etiam in ligatione ferri aut gladij, à quo quis vulneratus est, emplastri vis ad vulnus deduci potest, cum nullus inter hæc duo sit contactus, qui necessariò requiritur, ut agens vim suam in passum transfundat? Omnem igitur talem curationem, qua fit per ferri ligationem, per characteres, schedulas & similia, cum Hippocrate in libro de sacro morbo magicam, à DEO & pijs precibus nos abducentem; pronunciamus: inanem etiam & futilem, cum homini minus superstitioso & credulo adhibita, nihil conferat.

An ligatura gladij faciat ad vulneris curationem? Neg.

Non tamen hîc omnem fidem ligaturis, periaptis & amuletis physicis derogamus, in quibus non rarò latitat occulta

An amuletis & periaptis physicis aliqua sit virus? Aff.

quædam facultas, qua incalescens à corporis contactu atomos ac μιάσματα seu effluvia, nobis nescientibus effundit, quæ inspiratione occultè attracta morbi causam virtute sua alterare, corpusq; reficere possunt. Inest enim quibusdam rebus congenita inter se consortij aut dissidij proprietas, qua citra visibilem tactum inter se agunt: ut succinum paleas amplectitur, magnes ferrum: cuius tamen opera ab allio præsente impeditur. Hac ratione radix paoniæ collo suspẽsa epilepticorum remedium est & amuletum. Deciduus infantis umbilicus annulo inclusus & gestatus ita, ut carnem attingat, à Coli intestinorumq; doloribus liberat. Aëtites femori mulieris parturientis alligatus fœtum extrahit. Hæc & alia quæ causam in natura substãtiæ similitudinem habent, vel amicitiã, à superstitione vindicanda sunt.

Occulta plurimarum rerum qualitas.

Exposui hactenus, quantum hic locus admittit, quid in proprio Imaginatio corpore possit: restat nunc ultimũ explicandum, num etiam in alia corpora & materiam externam sine instrumento agere queat. De hac quæstione, ut, quæ

An phãthasia nostra quid possit in alios, & res externas?

feciſtis benignitate, me amplius audiatis, rogo.

Avicenna, Albertus Magnus & qui cum ipſis faciunt, tantum imaginationi aſcribunt, quod non modo ſuum corpus immutare, ſed etiam morbos inferre ac ſanare, nec non miracula, ſi velit, edere poſſit, his ducti rationibus: Aff. aliqui.

Anima eſt forma materia expers, cognationem habens cum mentibus ſeu intelligentiis, ut vocant, cœleſtibus. Quare, ut illæ intelligendo movent orbes, & multiplices vires infundunt in elementa & hæc inferiora: ita noſtra anima cum vehementiùs rapitur imaginatione quapiam forti, etiam in externam materiam operari poteſt: & hoc magis, quò præſtantioribus viribus à cœlo ipſa eſt ornata. 1. Rationes earundem

Si enim, addunt, aurum, hyacinthus & alia facultatem habent corroborandi cor, ubi appenduntur, licet illud non attingant: cur non imaginatio abſque contactu idem efficeret? 2.

Adducunt etiam experimenta de Imaginatione fœminarum, quæ fœtum in utero corrumpit & ita mutat: de ſtupore dentium, qui contrahitur ab alio 3. 4.

5. *acerba deguſtante: de oſcitatione, qua alium etiam ad oſcitandum excitat.*

6. *Hinc vulgi etiam nata opinio, qua cenſet infici infantes ſolius alterius hominis, malevoli præcipue ac invidi vel vetulæ intuitu, imaginatione & laudatione.* 7. *Iohannes Baptiſta Montanus etiam ſanguinem ex corpore vulnerati aut interempti hominis præſente autore profluere ſcribit, propter fortè huius imaginationẽ & trepidationẽ. Hæc omnia ſi ad rationis trutinam revocentur accuratiùs, plena ſunt falſitatis & ſuperſtitionis atq; à ſobria philoſophia & religione Chriſtiana alieniſſima. Nulla enim res naturalis poteſt quicquam ſupra naturam ſuam producere.* 1. *Simulachra autem & imagines illæ animo conceptæ non ſunt res veræ, ſed rerum tantùm effigies & umbræ, quales in ſpeculis apparent. Itaque & hoc ſolum poſſunt agere, ſignificare nimirum, figurare, repræſentare, humores etiam & ſpiritus corporis concitare, appetitum & proprium corpus movere, non autem alienum.* 2. *Accedit & illud, ab omni ſeculorum me-*

Impugnatur ſententia prior aliis argumentis.

moria confirmatum, quod solæ illæ actiones extra efficiens aliquid efficiant, quæ in effectore non manent, sed transeunt in passum: Imaginatio verò est actus manens in imaginante, non mutans aliquod externum: sicut & visio non mutat, quem inspicit, parietem. Quod si à nobilis animæ imaginatione illa proficiscerentur, viri sapientia & virtute præstantissimi talia perficerent. 3.

Quæ autem ab ipsis ad comprobationem adducuntur, vel dubia planè & obscura ipsa quoque sunt, ut de intelligentijs & influxu siderum; vel idem tantum decernunt, quod hactenus à nobis fuit ostensum. Solutio rationū priorū. I. II.

Fœtus enim in utero primis duntaxat mensibus, propter molliciem afficitur, sed tum nondū est diversum corpus, cum ipso sanguine & spiritu materno alatur. Adultior autem cum fuerit, rarissimè notatur, sed ex repentina mutatione potius interficitur & eÿcitur. Imaginatio pariter potest dolorem & stuporem dentibus inferre ex consideratione III. Fœtus in utero mutatio unde? IV. Stupor dentium ex re visa quomodo fiat?

stuporis

ſtuporis dentium in alio homine, aut etiam alicuius rei aſpectu vel limæ ſtridore. Vt enim inconſiderantia facit ſæpe indolentiam: ita imaginatio facit dolorem, non quidem dolorem inducendo ſine alia quapiam cauſa, neq; cauſam dolorem facientem generando, ſed revocata anima ad cognitionem & concitata fluxione, quæ dolorem creat. Ita cum muſculi temporum & buccarum flatum aliquem continent, imaginatione, cum alius oſcitat, moventur illo motu & flatum ipſum promovent. Et hinc eſt, quod nonnullis præſens pharmacum alvum ſolvit, non aliter ac metus, ad centrum nimirum corporis averſis ſuccis & ſpiritibus. Ad faſcinationem quod attinet, nihil facit per ſe viſus aut imaginatio vetularum ad læſionem infantum, ſed hæc à tactu, halitu & inprimis fœtidis vaporibus, quibus vetulæ abundant, quosque tenella corpora facile hauriunt, pendet.

V. Cur alius ex alterius oſcitatione oſcitet?

VI. An infantes vetularum viſu vel laudatione faſcinentur? Neg.

Quibus accedit crudelis & torvus vetularum aſpectus, quo infantuli terrentur ac motis ſpiritibus & humoribus

ægrotare incipiunt. Superest ultimum argumentum difficilimum ac considerationē dignissimū, De sanguinis profluvio ex vulenere, præsente autore: de quo hoc tenendum. Posse, præsente autore, sanguinem ex corpore stillare, vel vita adhuc prædito vel eadem carente. In vivo corpore causa ipsa ex natura erui ac deprimi potest. In cadavere exangui, si à divina providentia recedamus, nulla sese manifesta offert ratio. Etsi enim Lemnius in antipatheiam, dissensionem & tacitam discordiam, quæ est inter reum patrati sceleris & interfectum, hoc refert; vel etiam in motum, concussionem & agitationem corporis, qua ora venarum reserantur ac dehiscunt: vel denique in naturalem facultatem seu vim vegetantem, quæ ad tempus mortis inest, qua etiam accedente calore & humore pili ungues q; succrescunt: tamen hæc omnia talia sunt, de quibus ulterius quæritur ac dubitari potest. Neq; etiam causæ ab Aponensē propositæ huc quadrare videntur: qui putat, primū ex oculis autoris præsentis spiritus quosdam

VII. An sanguis ex interempti vulnere profluēs autorem signet?

Lemnij rationes.

1.

2.

3.

Improbatur.

Conciliatoris opinio.

in

in cadaver ingredi, qui poſtea viſua ſanguinem illum commoveant & eliciant.

Deinde autorem cædis eo tempore, quo vulnus inflixit, ſpiritus quoſdam inimicitiæ in corpus interempti transfudiſſe, qui poſtea propter cognationem, autorem præſentem perſentiſcant, atque ita eum, fontem ſuum repetentes, ſanguinem commoveant & ſecum ad vulnus trahant. Repudiatur. *Hæ enim cauſæ, ſi veræ eſſent, ſemper & neceſſariò eventus ille ſequeretur.* Verioris ſententiæ argumenta? *Quare hoc ſtatuendum videtur, accedente autore vulneris ad vulneratum, vivum adhuc, & vi diſcretionis præditum, phantaſiam vindictæ cupidam, bilem in læſo corpore accendere, ſanguinemque inflammare, qui concurrentibus undique ſpiritibus confeſtim ad vulnus prorumpit & exilit.* I. *Sed quia ad acceſſum, aſpectum, interrogationes & ſermones magiſtratus, propinquorum, cognatorum & aliorum vulneratus perturbari quoque ſolet & verecundia quaſi afficitur, fieri ſæpe ſolet, ut ſpiritu & ſanguine concitato, etiam abſente autore, ſan-* II.

quis

guis ex vulnere erumpat. Quod si ex cadavere iam rigente ille fluat, homicida adducto, meritò inter miracula hoc ponendum, & arcano DEI iudicio atque ordinationi singulari ascribendum, qui mirando modo interdum homicidas ad pœnam rapit, sanguine humano, quod de Abelo legitur, ad DEVM clamante & vindictam expetente. Hic tamen, cum liberrimum sit agens, liberè quoq; omnia administrat, neque semper hoc modo autorem cadis prodit vel quia autor satis notq & perspectq est, vel quia interfectq ipse causam cadis præbuit, aut talẽ pœnã antea suis facinoribus meritus est, vel quia autorem ad aliã maiorem reservat pœnam: vel quia improvisa & involuntaria planè fuit cædes, venia alia qua digna. Quare meritò laudandi sunt prudentes & eruditi illi judices, qui in hoc casu cautè & circumspectè sententiam pronunciant, nec volunt eum, ad cuius præsentiam sanguis ex vulnere profluxerit, quæstionibus statim subiici aut capitali supplicio affici, nisi alia firmiora & certiora concurrant indicia.

III.

Cur non semper autore præsente sanguinem stillat occisus? 1.2.3.4. 5. 6.

Dixi,

Dixi non quantum debui, ſed quã-tum potui, vulgariter & pingui Minerva, quid in homine tam rectè valente, quàm morbo correpto Imaginatio poſſit. Subijciendum nunc eſſet, qua ratione vitia eius corrigi & extirpari poſſent; ſed quia hæc quotidie in ſcholis, & templis exponuntur, ac quilibet per ſe intelligit, ad hanc rem inprimis opus eſſe ſancti ſpiritus auxilio & precibus aſſiduis tum quoque vita ſobria & caſta, omnes peccandi occaſiones diligenter declinante, remediorum illorum recitatione iam ſuperſedebo, ac Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ardentibus votis precor, ut cæptis & conatibus meis poſthac benignè & adſit & faveat, & hanc ſcholam pietatis & omnium neceſſariorum ſtudiorum alumnam protegat, regat & conſervet.

DIXI.

Ἐξέτασις

De

MAGICIS ACTIONIBVS, sententiæ

IOHANNIS BODINI
IVRECONSVLTI GALLI
Oppositæ

&

In illustri Iulia ante 16 annos publicè disputata

A

Clarissimo & Excellentissimo Philosopho & Medico

MARTINO BIERMANNO:

Nunc tertiò

Plurimis hanc desiderantibus, Correctior edita.

§):(§

De MAGICIS ACTIONIBVS.

THEOREMA I.

AD PHYSICAM CONsiderationem reducuntur motus & actiones magicæ.

An physici sit agere de Magicis actionibus? Aff. 1.

2. Quanquam enim in his, quod primum ac verè movet, non omnino sit considerationis Phhysicæ: per hoc tamen non stat, quin & ipse in se motus (ut alteratio, ut motus localis) & subiectum quod movetur, sint considerationi naturali subiecta. Qua de re monet Arist. 2. Phys. tex. 71. & 73.

2.

3. Sed nec id quod movetur, modo naturæ suæ consentaneo, utplurimum afficitur, sed παρὰ φύσιν & violenter. Attamen cum violentum præsupponat id; quod secundum naturam est (ut patet ex Arist. 5. Phys. tex. 57. & 58) eademque consideratione reducatur: motus magici per reductionem in naturalibus constituendi sunt.

4. *Nec firma est ratio: Si formæ abstractæ à Metaphysico demum cognoscuntur: motus etiam quem illæ excitant, Metaphysico addicetur. Nam* cum Metaphysico formas istas agnoscat esse motores æternos; Physicus easdem admittit, ut motores æternos. *Atque hic quidem ut principium in sua scientia; ille verò subiecti loco. Vnde Metaphysicus scit, Quid sint abstractæ formæ: Physicus solum, Quod sint.*

5. Qui *verò* Tactum, Locum & Motum extra naturæ rerumq; naturalium sortem condunt: præterquam quod multitudinem Entium temerè augent, etiam rationem suam ita emancipatam Phantasiæ produnt, *ut nisi quod materiatas res repræsentet, complecti animo nihil possint.*

6. *Inquies: Nónne intelligentiæ, quem movent, singulæ orbem tangunt? At non tactu, sed virtute movent formæ istæ purissimæ: ut & anima corpus suum. Tactus autem est illorum, quæ simul sunt extremitatibus suis: hæc corpora sunt, in partes resolubilia.*

7. *Pertritum autem est, formas circumvolventes cœlum, & animam agitantem corpus, per accidens saltem, subiecti ductu moveri. Inde autem qui concludere possis, de motu per se spirituũ in aëre diffusorum, equidem miror.*

An inteiligentiæ cœlestes sint mobiles?

8. *Sed misso hoc sit quæstio*: An incorporea per se moveantur. *Negat Aristoteles, negat ratio.* Quod *enim* movetur, divisibile est, & parte sui hæret in termino unde fertur: partim etiam in termino quò fertur: *quia potentiam habet actui coniunctã. At quod indivisibile, quod incorporeum est, quibus partibus dirimetur?*

Neg. 1.

9. *Tum verò*, ut dem indivisibile moveri: movebitur ergo per spacium, aut seipso minus, aut sibi æquale, priusquam maius emetiatur. *Sed quid erit indivisibili minus. Iam si primo per spacium æquale, itemque per aliud æquale, porrò etiam per æquale quoniam singula sunt indivisibilia, omnino per quod motus fit, spacium illud totum erit ex indivisibilibus conflatum. Ita scilicet continuum ex indivisibilibus erit compositum.*

2.

3. 10. Adhæc in motibus istis momentaneis, quisnam erit primus, reliquorum canon? quod erit tempus primi mensura motus?

An angeli loco mobiles? Neg. 11. *Sunt tamen, inquies, angeli aliàs hîc, aliàs istic.* Sunt, *inquam*, *sed* sine motu ac mutatione. *Vt enim ea, quæ apta sunt nata in loco esse, tantum mutant locum per motum localem: Sic è diverso, quæ non sunt comparata, ut sint in loco, sunt quidem illa hîc illicq;, & non sunt, absque motu tamen & mutatione. Documento sunt lumen & species visibiles, quæ momento existunt in aëre sine motu, sola præsentia corporis lucidi aut aspectabilis.*

Propositio. 12. *Sed de Magia triplex quæstio disceptatur: An sit: An talis sit: Propter quid talis sit. Ad quarum explicationem, nominis prænotio afferenda est.*

13. Magus hodiè dicitur, qui ex fœdere facto, utitur diaboli opera ad rem quamcunque. *Eodem usu sumitur vocabulum* φαρμακὸς ἢ φαρμακεύτης. *Nec contentiosè agendum est de vocibus, quæ non demonstrationis vi,*

sed

ſed placito arbitrioq; hominum valent. Saga *verò* eſt mulier, quæ commercium habet cum dæmone.

14. *Eſſe autem Magos præter autoritatem ſacrarum literarum omni exceptione maiorem; Plinius, omnis antiquitatis promuscondus fidiſſimus, diſertè ac plurimis locis affirmat. Quin & hodie vugata eſt de Magis oratio.* An ſint Magi? Aff.

15. *Sed difficilima eſt explicatio*, an Magia ſit talis: hoc eſt, quæ de Magis perhibentur, an verè ſint, quæ iactantur.

16. *Quæ autem de Magis memorantur, varia quidem ſunt, poſſunt tamen his ferè capitibus diſtingui. Aut enim ipſis accidunt Magis: aut à Magis deveniunt ad alia. Prius genus quandam paſſionem; poſterius actionem ſubindicat. Et quæ ipſis contingunt Magis, aut ad animum, aut ad corpus illorum pertinent. Quæ ad animum, aut ſenſum internum aut externum attingunt.* Diſtributio.

17. *Cum ergò Diabolus in id unum ſit intentus, ut hominum genus errore ſeductum, in æternum præcipitet exitiũ:* An diabolus

animos hominũ ſubeat? Aff. 1.

nemini dubium eſſe poteſt, quin animis Magorum varijs technis inſultet & illudat. Quod facile effectu eſt ei, qui nec ſpacio locòve coercetur, nec dimenſione ulla excluditur, *quominus animum hominis penitus ſubeat.* 2. *Maximc autem* illorum animos invadendi ius & poteſtas ipſi permiſſa eſt, qui præſidio divino ſe ſubducentes, ſua in caſtra tranſierunt, *illiq; ſacramento ſe aſtrinxerunt. Horum animos ille per vim occupat & agitat. Caterùm cum mens ipſa immediate decipi patiq; nequeat, prima quaq; arte veterator* 3. Sedes. phantaſiam; obſidet *quæ ut mentẽ vanis conceptib. inſtruat, aptiſſima, ut corpus ſpiritu percieat, potentiſſima eſt. Ita verò eam obſirmat, ut ne quem facultati æſtimativæ, rationique ſanæ, de ijs quæ ipſe perſuaſit, iudicandi relinquat locum.*

4. Effecta. *18. Hincperquietem* ſomnia movet prodigioſa, *quibus volare, cœtus Magorum frequentare, complices agnoſcere, comeſſationes & tripudia celebrare, aliaque peragere videntur ſibi homines*

demen-

dementati: quæ & ipſa expergefacti (ut eſt amentia) pro veris conſtantiſſimè aſſeverant. Quam ut rem perficiat, ad iumenta quædam ſumit è natura. *Nam & ſoporiferas inunctiones imperat, & cibos præbet flatulentos, ad ſuſcitandum fovendumq; turbulenta ſomnia pollentes, apium, cepas, fabas, Phaſeolos & alia.*

Adiuvantes cauſæ.

19. *Quo minus autem iſta ſomniorum generatio mira alicui aut impoſſibilis iudicetur, quid per naturam fieri doceant Philoſophi, conſiderandum eſt. Per ſomnum certum eſt quædam apparere, quæ evenerint, à noſtris tamen ſenſibus & cogitatione remotiſſima, etiã quæ ad Boryſthenem, aut ad columnas Herculis (ut loquitur Ariſt. lib. de Divinat: per ſomnium) geſta ſunt. Horum profectò principiũ in nobis minimè eſt, quia* nec è ſenſu, nec è memoria extiterunt; *eſt tamen aliquod per ſe principium, cum neque caſu, neq; rarò, ſed multis obtigiſſe hiſtoriæ teſtes ſint. Habent ergo ortum ab ipſis rebus externis, quarum indicia ſunt: ita ut ab his motus quidã & ſenſus pertingat ad animas ſomniantes,*

An ſomnia citra ſenſus ab externa cauſa fiant? Affi. 1.

2. *ne quidem commotis inſtrumentis ſenſuum externorum. Quid enim* per quietem potius quàm per vigilias apparerent, ſi per ſenſuum organa illaberentur? *Porrò autem tam velox ſæpe eſt animi motus, ut multæ ſuborian-*
3. *tur imaginationes, quæ ſi non ſatis animadvertantur, ab ijs quæ ſenſa ſunt defeciſſe, pro veris putentur proferanturque, cum falſæ ſint. Quod tùm in ſomnijs crebrò, tùm delirantibus & Melancholicis, qui celerem habent imaginationem, creberrimè uſu venit. Quòd ſi ergò per naturam fieri monſtratur, ut res, quæ longiſſimè remotæ, nulloque ſenſu compertæ ſunt, imaginationem citra ſenſum externum moveant,*
4. *& ſomnium excitent: quid* ſi imaginū formatrix cauſa ipſi animæ inteſtinè adſit? nonnè ſimulacra, nónne ſomnia impreſſerit? *Et ſi falſa ſomnia & animi concepta enarrantur ut vera, quoties phantaſia æſtimativam motu præcurrit: an non pro veriſſimis referentur ea, quibus præter motus celeritatem, etiam violentia impreſſionis in animo acceſſit?*

An anima possit egredi suum corpus?

20. *Sed pergo. Nunquam ego potui illorum capere rationem, qui animos Magorum extra corpora abripi, & ad Panegires suas ferri asseverant: illamq; emigrationem nuncupāt* ἔκστασιν. *Enimverò* cuius animus expatriatus est, eritne corpus illud vivum an mortuum? *Si vivum dicatur: ergo animatum est, quod anima vacat. Si mortuum: quid impedit mortuos resurgere, quando & illorum anima egressa est? Nec est quod occurras: in corporibus* ἐκστατικοῖς supersesse facultatem recipiendi animam reducem, *quæ nulla sit in cadaveribus.* Quænam ea potentia est? *Dicas calorem vitæ modiperatorem: nec sanè dicere aliam possis. Est enim* calor ultima dispositio corporis ad animam: idemque est vinculum animæ cum corpore. At non potest calor iste nec momentum perdurare, cum sit ῥευστὸς nisi in momento, veluti flammula *regeneretur. Et quia* ὁμοεθνῆ *calore genitum oportet, cum ipse sit non solū animæ vector sed & minister, omninoq; ita animæ addictus, ut nec hac*

1.

2.

3.

sine

ſine illo corpori ineſſe, nec ipſe ſine anima
ullo perfungi munere poſsit: à quo gene-
randus eſt, calorem illum ab anima ad-
iutum inſtructumque eſſe oportet. Quis
autem talis erit in corpore, à quo anima
4. *abijt? Addo & hoc:* non poſſe calo-
rem, quem dixi, foveri ſuſtentariq́ue
ſine pulſu & reſpiratione. *Quid verò,*
abſente anima, ciebit iſta? Nec obieceris
Apoplecticos & mulieres, quæ utero præ-
focantur, aliosq; qui ſine reſpiratione vi-
tam trahant. Quid enim illis unquam
deceſsiſſe vitæ potuit, qui in vitam re-
deunt? Quod ſi vita non defecit: ergo
nec ἐνέργεια *vitæ: quin imò vita anima-*
lis eſt ipſa animæ ἐνέργεια, *in pulſu &* re-
ſpiratione vigens. Ergo non poteſt ani-
ma integra ſecedere à corpore vivo inco-
5. *lumiq́;* *At* ſi τὸν νῦν ſolũ evagari dicas,
relictâ anima ſentiente & vegetãte,
id quod volebas minimè explicatũ
reddes, cauſam ἀναισθησίας in cor
pore, præſente anima ſentiente.
6. *Quin nec alterum, quod intendebas, ra-*
tione conſtitues, notationem locorũ,
perſonarum plurimarumq; ſingu
larium & materiatarum conditio

num, *quas referunt ex profectione sua Magi: quas* mens à materia seiuncta non intelligit. *Denique* si menti 7.
comitem itineris adiungas sentientem animam, hæc quomodo sine subiecto corpore, cuius est actus, subsistet? *quomodo sine organis appositis operabitur? Præterea autem dic quæso,* si anima sit uspiam à corpore profecta: si corpus in integro restet 8.
domi, unumne an duo erunt ὑφισάμενα? *Quidni duo sint, quando utrumq; per se subsistit? Quomodo autẽ essentialiter uniri & coalescere possunt, quæ per se subsistẽtia actuq; divisa, nullã sui mutationem subeunt. Actus certè actui non unitur, nec subsistentiæ subsistentia.*

21. *Pulcrè tamen contrà venis: Animam hominis immortalem esse, & propterea separabilem: itemque animam à corpore liberè subsistentem operantemq; esse immortalem. Vera, inquam, hæc sunt ad animam, non ad animatum adducta.* Subsistere potest anima hominis sine corpore animato, non potest autem animatum corpus esse sine anima. Præoccupatio.

ἔκσα-σις quid?

22. *Vis ergo dicam, quid sit* ἔκσασις? *Est Aristoteli lib. de Divinat. per somnium, sensuum externorum ad interna conversio talis, ut nec passio corporea motusque externus percipiatur, & virtus imaginatrix ab operis domesticis feriata, concipiat & tractet peregrina & sublimiora quàm pro captu sensuum. Est verò Medicis vehemens animi perturbatio, qualis in Mania. Autor est Galen. 3. in 3. Epid. & 1. Prorrhe. 6. Item Theophrastus lib. 9. de historia plant. cap. 13.*

Anopiatis ἀλλαι-σθησία posit produci?

23. *Negat porrò Bodinus, posse soporiferis medicamentis tam profundum induci stertorem, quem ignis tuti admotus non excutiat. Negat? Atqui idem mox affirmat eam narcoticorum vim, quæ somno devinctos nec triduum dimittat. An ergò triduani hi, dum sensus sepulti sunt, evigilaverint? an dolores senserint?*

24. *Nec miraberis, optime, si* ἔκσαθικοὶ *quos vocas, indicta statutaque horâ restituantur. Nihilo id certiori argumento est abitioni animæ, quam fin-*

gis?

gis: quàm ſomno, pharmacorum natura provocato ſomniorumq; ludibrijs à Dæmone conformato, productoq;, denique ab ipſo fabulæ actore, cum libitum eſſet, abrupto & finito.

25. Equidem demiror Seplaſiarium Iareconſultum, de forma & uſu unguenti ſoporiferi diſſerentem. Pinguia, inquit, ſunt calida. Ergo unguentum iſtud non infert ſoporem. At non accidentalis ſeu unctuoſa forma, ſed ſubſtantialis, quæ in temperamento conſidet, è baſi cõfectionis nata: hæc inquam, ſomnum generat. Adduntur autem pinguia, ut inungi, inunctumque tenacius inhærere & agere poſſit. Nec verum eſt, vulgo quod putatur, quæ ſomnum ſtuporemque cogunt, frigida eſſe omnia. Indicant hoc apium, crocus, ſtirax, vinum, cicuta, coriander, quæ calida cum ſint, vaporoſa & indigeſta plus minuſvè humiditate ſpiritus ligant. De uſu verò unguenti quærit, cur dorſo, brachijs, cruribus potius, quàm fronti illinatur. Quid verò? ſi toti corpori nonne

An ſomnifera ſenſus ligent? Aff.

etiam

etiam fronti? Et eò quidem corpori universo, ut stuporem nervis inducat eũ, qui nec verbera nec inustiones moretur. Quanquam quid prohibet opinari, accuratam istam delibutionem (ut alia) fuco fieri? Nam & sine unguentis visi sunt Magi alijq; scelerati, certorum fiducia verborum, acerbissima tormenta indolenter sustinuisse. ἄνοδύνῳ quodã animi, sed παρὰφύσιν quo spiritus ligarẽtur, & ne ad partes excruciatas confluant, coercerentur, à diabolo obstupefacti.

26. Sic magi somniant. Sed & vigilantes variis eluduntur phantasmatis, ut efficere & videre sibi videantur, quæ nulla sunt.

An dæmones fieri possint corporei? Neg. 1.2.

27. Non possunt autem Dæmones verum induere corpus, quo sensui fiant evidentes: quia in sempiternis nihil accidit novi: nec potest transformatio ista fieri sine alteratione, à qua formæ separatæ maximè sunt immunes.

Conciliatio.

28. Quicquid autem huius sit, quod apparet, visum decipi posse certum est. Neq; enim solum species & figuræ rerum externarũ oculis suscipiuntur: sed &

Phanta-

Phantaſia ſimiles ſponte effinguntur, tanta quidem vi & evidentia, ut & foràs ad communem ſenſum, inde ad oculos redundent. Sic pueri auditis μορμολυκείοις faciem occultant, quod ſpecies horrenda, ab impotentiori Phantaſia effecta, iam in oculis ſit. Itaq; perſtringi poſſunt oculi imagine, à ſola Phantaſia ſuppeditata. *Eſt & alia fraus Phantaſiæ in oculos, ad quam tamen obiectũ externum conſpirat. Nam* ſi quid imaginatio ſingulare aut dirum cõceperit; ſi qua foris incidat ſpecies, quæ utcunque aut etiam nihil reſpondeat conceptui? hanc ſuo domeſticoque figmento conformem ipſa tùm arripit, tùm iudicat. *Adhæc quid mirum circa figuram, quæ eſt commune ſenſuum obiectum, oculos hallucinari? Quare* ſubſtituto corpore quocunque *(ſi præſertim Phantaſiæ ſit illuſum)* oculos de figura perversè iudicare contigerit. *Quod ſi qualitas ſeu lineamenta figuræ oculis non rectè fuerint dijudicata: multo minus eadem dignoſcentur tactu, qui ſolùm continuum & diſcretum in figuris notat.*

Conciliatio.

29. *Omninò autem* maxima vis est phantasiæ ad errores: *quod illorum exempla satis declarant, qui affectu, aut morbo, præpediti sunt, aut qui æstimativam parum integram constantemque habent, à quibus falsissima & ineptissima cogitantur & effutiuntur. Quod si hæc ab architecto omnis erroris fuerit obsessa, quæ nõ absurda monstrosaque comminiscetur & profitebitur. Quid ergo mirandum, si Magi suis viribus effecta prædicant, quæ aut nunquam evenerũt, aut longè aliis principiis provenerant?*

An trãsportatio Magorũ sit possibilis? Neg.

30. *Iam verò corpore dicuntur Magi exportari per aërem ad loca remotissima; concumbere cum spiritibus impuris, unde Ephialtæ & Hyphialtæ, incubi & succubi nominantur.*

31. *Quanquam autem antea demonstratum sit, somnium esse, quod de profectione ad sua comitia narrant Magi; propterea quod dormire visi sint, quo se abfuisse, tempore profitentur, tamẽ* corpora Magorum in sublime abripi, ἀντιφυσικὸν non est, sed violentũ tantum. *Tanta enim potest esse externi*

Limitatio.

motoris

motoris vis, ut etiam contra, quàm propensum sit mobile, loco impellat. Hinc gravissima moles impetu ventorum, aliquando per aerem feruntur. Cum autem motus violenti pendeant à potentia materiæ absoluta, quæ est ipsa materiæ essentia: quodcunque corpus per vim abripitur, observabit conditiones materiæ coniunctas. Hæ autem sunt, quæ ad quantitatem, coævam materiæ sociam pertinent. Hinc corpora ista quantumvis concitatissimo, tamen in moram protracto motu, per spacia item æqualia, & sine penetratione dimensionum aliquò duci necesse est.

32. *Quod de concubitu Dæmonum cum Magis fertur, plus quàm vanum est.* Quid enim commiscerentur spiritus, sive inter se, sive cum hominibus, qui nec moveri nec alterari possunt? *Quæ autem esset libido generandi in illis, quorum genus nec numero singularium diminui, nec multiplicari potest? Quòd si τὸ ἐπιθυμητικὸν istud cadit in spiritus, quomodo aberit τὸ ἀρεπτικὸν; quomodo autem utrumque erit sine organis accommodatis? Cor-*

An dæmones cõcumbere possint? Neg. 1. 2. 3.

4. *porei ergo ſpiritus fuerint. Veruntamen* gaudent impuriſsimi genii impuritate hominum, ad eamque vi & fraude adigunt. *Animo enim iam dementato laſcivam ſuggerunt ſpeciem, tùm affrictu pruritum excitant, quibus agitati ſpiritus tanquam œſtro exæſtuant. Cum ergo ſoli pruriant Magi, & ſint animo malè ſani, nihil illorum confeſsio aliud confirmat, quàm ſe aliquid paſſos eſſe: at quomodo paſsi ſint, ratio & fides nulla erit.*

Limitatio.

33. *Dehinc videda ſunt ea, quæ à Magis dicuntur exerceri in alia. Horum quædam ne quidem fieri poſſunt: quædam fiunt quidem, ſed alias ob cauſas: quædam ab ipſis Magis verè perficiuntur.*

34. *Primi generis ſunt: Detractio aut obſcuratio ſyderum, ſuſpenſio terræ: Item transformatio vera, aut unius animalis in aliud diverſæ ſpeciei, ut hominis in lupum, felem, aſinum: aut animalis in inanimum, ut hominis in lapidem: aut inanimati in animal, ut virgæ in ſerpentem. Hæc ſi à Deo diſceſſeris, nullius cauſæ vi effici poſſunt. Et quoniam Bodinus de Metamorphoſi in vices, modò ho-*

Actiones magorum impoſsibiles.

minis in felem aut lupum, modo lupi & felis in hominem graviter contendit: illius problematis momenta in singulis causarum generibus ponderabimus.

35. Materiæ vim primũ expendemus, in qua omnis potentia passiva est. Duplex ea potentia est, una absoluta & indeterminata, altera verò definita & certæ formæ destinata. Illa quidem ab essentia, hæc ab existentia materiæ profluit. Hinc duplex statuitur materia, prima & proxima. E primâ materia nihil generatur. Quod enim generatur, est hoc vel illud: prima autem materia neque ad hoc neque ad illud est aptata, sed omnium capax. Est verò necessaria observatio materiæ primæ, tùm ut essentia ipsius materiæ constet, tùm ut universalis ratio omnium in naturâ mutationum explicetur. Inquies: An non omnes formæ educuntur è materia prima, eidemq; inhærent? Rectè sanè. Actus enim, qui suam in se perfectionem obtinet, pati aut recipere nihil potest. Idcirco sola materia, quatenus materia recipit. Sed tamen ut certa for-

An μεταμόρφωσις concessa Magis? Neg.

An materiæ primæ cognitio sit necessaria? Aff.

ma recipiatur, adesse oportet materiæ certam conditionem & dispositionem: *non secus ac lumen in aere recipitur, sed non sine hac conditione, ut aer sit* διαφανὴς. *Quare è materia prima nihil generari potest: educuntur tamen è gremio ipsius (hoc est, ex ipsa materiæ essentia) omnes formæ, verum hac lege, ut apparatum certum habeat, quo iam evasit materia proxima. Quòd si ergo è proxima materia res generantur, profectò ut temere alterum ex altero, & quodvis nascatur è quovis, fieri nequit. Nam quî possis materiam dicere proximam aut propriam, si non ex ea certò aut definitè res oriatur? Quomodo autem verè aut certè affirmare possis, hanc rem genitum iri ex illa, nisi suam quæque & propriam materiam habeat?* Sed quid est quod materiam facit proximam? Omnis sanè determinatio est à forma. *Neque verò solum formæ accidentales, ut quantitas, ut qualitas, materiam ita præcultam reddunt, ut ad certam formam substantialem recipiendam sit facilis & accommodata; sed*

multo magis ipsa, quæ in materia jam subsistit, forma substantialis. Huius enim ope & accidentia, & materia ipsa consistunt, & determinantur. Sic non solum quantitas & qualitas, sed potissimùm forma substantialis aquæ est causa, ut ex tali materia generari possit vapor. Et à forma substantiali præcipuè est ea facultas in semine, ut ex ipso, non autem è lapide & ligno, nascatur animal. Quare ex illa demum materia ortum ducere res quæque potest; quæ per formam substantialem præparata sit ad certum affectum. *Vide autem quid nostra velit ratio. Quod à forma est, specificum est, & tale quod est, aut perpetuum aut frequentissimum est in singularibus. Quare* ortus mutuus non potest esse nisi inter res certarum specierum. *At verò ex homine fieri lupum aut felem, specificum non est. Ergo ne quidem per materiam, cuius in omni generatione prima est habenda ratio, fieri mutatio ista potest.*

II. 36. *An ergò* per formam? Multo minus. Nam actus quilibet definitus est, & definitum exposcit subiectum: ἄλλο μὲν εἶδος ἄλλου ὕλης. *Quin imò suum quaque forma definit subiectum. Hinc præter omnem rationem à Bodino dictum est: spiritum & rationem hominis integram, in corpore & figura bruti consistere posse:*

III. 37 *Sed in viribus efficientis omnem rem Bodinus collocat. Videamus quid sit efficere. Est, inquam, actum producere: id quod fiat oportet ab actu, & quidem eiusdem speciei seu univoco. Quomodo enim Musicus extruxerit domum aut sanaverit? Ita autem* efficiens convenit specie cum eo quod fit, ut aut nihil in se diversum habeat ab eo, quod fit, *ut cum ignis ignem, homo hominem generat:* Aut etiã aliud quid contineat, quàm illud quod fit, cum eo ipso tamen includat aliàs totam rationem eius quod fit, aliàs partem eam, ad quam tota ratio sequi potest. *Sic homo statuam construit per artem, quæ est tota statuæ ratio. Sic motus excitat ignem per caliditatem, quæ*

aut

aut tota ratio est, aut talis pars ad quam ratio ignis sequi potest. Age verò Dæmones ut mutationem hominis in lupum, aut lupi in hominem efficiant, actumnè habent, qui aut utriq; aut alterutri quod mutatione nascitur, similis sit? Minimè. Tantum *enim* abest, ut Dæmon & homo aut lupus simpliciter conveniant specie, ut æternũ & mutabile plus quàm genere sciũcta sint. *Nec possis ullo iure animalis rationẽ assignare spiritibus, quin mortalem ijsdem naturam attribuas. Pars autem ea, ad quam sequitur tota ratio animalis, est corpus potentia vitam habens, seu organicum. Id verò formis abstractis è diametro opponitur. Quocirca* si quam Dæmonibus vim efficiendi concedas sine actu, qui similis sit ei, quod fit ultra quàm possint, agere eos dixeris. *Nec causaberis vim divinam in permutandis rebus omnibus: nec etiam licentiam à Deo concessam diabolis. In Deo enim cum sit omnium rerum ratio eminentissimè, omnia potest, omnia quæ vult agit.* Permissio *autem* Dæ-

monifacta, est causa privativa, quæ formaliter nihil ponit.

An Aegyptij Magi eadem cum Mo se fecerint? Neg.

38. *Inscitè admodum & profanè colligis, Bodine, Magos AEgyptios easdem res fecisse cum Moyse, id est, baculos in virgas vertisse, & ranas produxisse: & ut Moysen, ita & Magos nihil per illusionem fecisse. An enim par est ad agendum virtus Damonũ & Dei præpotentis? An finis utrobiq; fuit idem? & operibus Moysis veris nõ fuit confirmandum mandatum divinum ad regem, de dimittendo Israëlitarum populo? & verò prastigijs Magorum non fuit facilis elusu rex, at, quod antè statuerat, populum vi retineret? At dicuntur in sacris utriq;, (ais) easdem res fecisse. Atqui solum, quod in sensus incurrit, factum, nec τότι ἐsὶ facti exponitur. Nimis autem crasse addis: si Magorum serpentes meri fuissent baculi, devoratos Moysis serpens non fuisset digesturus. Nimis hoc dedisti crassum. Quæ enim miraculo fiunt divino, num ad naturæ modum sunt judicanda?*

I.

II.

III.

Obiectio diluitur.

1.

2.

39. Nec

39. *Nec etiam hùc facit, quod de Nabuchadonesare & vxore Loti transformatis infers. Nam ut de Babyloniÿ regis exemplo nihil disputem, an nō mera fuerit animi ægritudo: illud simpliciter assero,* quæ divina vi præter naturæ leges fiunt, à Magicis lusibus esse toto genere seiungenda. 3. Canon

40. *Vnum restat explicandum. Ait Aristoteles 7. Metaphys. tex. 23. & 31.* in iis quæ tùm ab arte, tùm à natura fiunt, quædam existere casu. Dixeris ergò, si non causis per se, tamen casu transformari animalia. *Verùm non dicuntur Aristoteli illa casu orta, à quibus omnis definita causa abfuerit: sed quæ sine externa effectoris commotione, interno quodam principio sponte feruntur ad finem. Id declarat Aristoteles exemplo sanitatis, quæ non solum Medici opera fit, sed & spontaneo humorū motu. Declarat etiam exemplo illarum rerum, quæ in natura* αὐτόματον *habent ortum è colluvie. Ineſt horum materiæ calor virtute cæli excitatus, quo illa non aliter ac semen, calore animalis* 4.

perfusum

perfusum, suopte nutu ad formam proruit. At in corpore animalis nullum est eiusmodi principium, cuius continuo & ordinato motu, aut ad formam animalis diversæ speciei, aut ad formam inanimati, ipsum perducatur. A quo enim agente externo principium istud primò defluxerit? Profectò si quid huius esset, facilior foret è semine hominis conformatio, lupi aut felis, quàm è corpore perfecto absolutoq.

An lycãthropia sit possibilis? Neg.

41. Sed quid tandem de λυκανθρωπίᾳ, *ac similibus* μεταμορφώσεσι, *tantũ celebratis, decernis? describit Arist. 7. Eth. cap. 1. & 6.* θηριότητα, ὑπερβάλλουσαν τὴν ἀνθρώπου κακίαν *quæ appetitum hominis in beluinam convertit, exclusa aut perversa ratione. Huius triplicem causam notat. Alia enim est* διὰ μοχθηρὰς φύσεις, quando natura humana in beluinã degenerat. *Ea est quarũdam gentiũ feritas, quæ nudo incedunt corpore, balant in sylvis, vescũtur carnibus crudis, etiam humanis, exhibent epulis suos liberos.*

I. Feritatis beluinæ causæ.

II. *Alia est* feritas genita morbo corporis: *ut in gravidis, vitio humorum sæpè desiderium abominandorum ciborum,*

calcis,

calcis, picis, terræ: & in Melancholicis ac Phrenecticis è temperiei corruptione motus oriuntur ferini, & ab homine sano alieni. III. *Alia vero est* feritas, prava consuetudine contracta. *Sic Cleomenes Spartanorum rex, è longa cum Scythis helluatione eò feritatis pervenit, ut suos sibi artus detruncaret ferro.* IV. *Quid prohibet, quartam his addi causam?* lævitiam diaboli, *qui impios quidem omnes ad dissolutam vitam deducit, sed quorum animos per vim tenet, eos ad facinora, nõ solum humano, sed & beluino appetitu tetriora impellit. Talem immutationem hominum nos in Sarmatiæ provincijs (de quibus magna* λυκανθρωπιῶν *fama est) observavimus, non figuram aut formam, sed appetitum humanum exuentem: Reliqua autem quæ de Magicis rerum conversionibus circumferuntur, aut nunquam visa esse; aut si qua visa sint,* non rem videndam, sed oculum videntis, fascino fuisse oblæsum: aut si inviolatus perstiterit oculus, rem videndam subdolè fuisse subductam, aliamque illius in locũ substitutã, planè asseveramus.

42. Alte-

42. *Alterius porrò generis res, quoniam verè fiunt, causam per se & principem habent, Naturam aut voluntatem hominis.*

43. *A natura sunt tempestates, morbi & sanationes morborum, generandi facultas ferarum & noxiarum bestiarum abactiones, aut placationes: voluntate hominum conciliantur amicitia & dissidium.*

An characterū & imaginum sit aliqua vis?

44. *Quæ autem à Magis eas ad res adornantur, etsi nullo ordine nullaq; vi ad effectum concurrunt: tamen vano signo & falsa imagine, quod factum futurùmve est, quandoq; adumbrant. Talia sunt characteres, imagines cereæ, aut quacunque è re confectæ: carmina: orationes: laudationes: imprecationes: intuitus infensus: corporis gesticulationes: ligaturæ: herbæ, per certa loca dispositæ: liquorum & pulverum innoxiorum, sive in aërem sive in terram dispersio: lapides retro jacti: herbæ aut aliæ res decoctæ: defossa in terram ossa, pili, alia.*

45. Hu

45. *His nullo modo præstari ea, quæ sibi persuadent Magi, rationes demonstrant sequentes.* 1. Principia definita, quibus res in natura secundum essentiam suam mutantur, sunt anima nutriens & elementa: *cœlum autem universalis causa est. Et anima quidem mutat res & generat per calorem animatis insitum: elementa autem per qualitates primas, quibus summis prædita sunt. Temperamenta verò, quæ refractis qualitatibus elementorum nata sunt, alterandi facultatem tantum obtinent. Quòd si ergò solis his principijs mutationes naturales perficiuntur: characteribus, figuris, orationibus, & carminibus, corporis varijs gestibus, nulla agendi efficacia tribuenda est.* 2. Non agunt promiscuè res quælibet inter se nec patiuntur: sed illa demum, quæ genere seu materia conveniunt, specie dissident. *Vnde apparet, quæ corpus temperie mutant, animi affectū primò inducere non posse: nec animi affectū unius, corporis noxā creari alteri.* 3. Nulla, fieri potest actio sine

Neg. I. II. III.

contactu, qua ipsa irritatur actio. *Et quoniam agunt quædam per medium, quædam sine medio: etiam contactus rerum aut mediatè aut immediatè fit. Ergo quæ in terrâ aut sub limine defodiuntur, quæque hic illic disponuntur, nisi manifestam aut venenatâ qualitatem emiserint, prætergressis officere nequeũt. Multò autem minus quæ ad multa miliaria à Magis parantur, absentibus*

IV. *possunt esse noxia. 4.* In agentibus & patientibus, nisi sit proportio virium, effectus nõ sequitur novus, *sed quod imbecillius est, destruitur & convertitur in naturam validioris. Quare aqua quæ profunditur à Magis, sufficiens non est, ut resoluta in vapores generet pluviam. Nec pulveres & liquores noxij, quacunq; sparsi, cuivis obvio inficiendo sunt. 5.* Cum nihil unquam factum

V. sit, quod fieri non potuerit: cumq; potentia passiva unius materiæ & subiecti patientis propria sit: certè ut effectus erumpat, ad quem patiens aut seipso expeditum nõ fuerit, aut ab agente expediri promtè non potuerit, impossibile est. *Im-*

ad exortum cuiuslibet formæ, potiorem partem confert materia: cuius è sinu illa conuenientissimè enascitur. Quod quidem de forma, quæ καθ' ἕξιν *inhæret, potissimum intelligatur: ad* σχέσιν *enim eam, quæ est* ἐν τῷ πῶς, *qualiscunque facultas subiecti, etiam indefinita, aliquando satis est. Quod si ita se habet, nullum in corpore morbum, nullamque mutationem, sola externi motoris impressione, & sine omni corporis ipsius propensione insitaque labe generari existimandum est.* 6. Voluntas humana agit excitata cognitione & liberè agit. VI.

46. Quod si excipias, actionem, qua de negotium est, Magicam esse, & propterea minimè astringendam legibus naturæ: nihil est. In quæstionem enim venit, an modo & necessitati naturæ eximenda sit. Et cum effectus ipse sit res naturalis: cumq; etiam id, quod à Mago subordinatur agens, aut sit corpus naturale, aut res secundum naturam: quidni actio ipsa ad canones & statuta naturæ revocanda & æstimanda sit?

Diaboli potentia limitata.

47. *Sin urgeas potestatem Dæmonum perficiendi cæpta Magorum, longè etiã secus, quàm naturæ cursus ferat: tantundem est. Equidem diaboli vim maximam non nego: facultatem evertendi necessitudinem causarum & effectorum naturalium abnego. Quis enim ordinem naturæ mutaverit, qui non idem conservaverit? Non potest igitur sine certis & legitimis causis ullus in natura effectus, ne quidem Dæmonum conatu provocari. Sed ut est astutia simul & violentia, plurimis noverunt modis agentia adiungere patientibus: tùm vires agentium ita aggravare & exacuere, ut solito celerior & gravior prodeat effectus. Iidem quoad Deus indulserit, abutuntur natura in perniciem hominis aliarumque rerum. Quocirca Dæmones, ut sine mediis naturalibus rem in natura quamcunque conficiant, irritum est: ut immediatè alterent & passionem inferant, ab ipsorum etiam substantia alienissimum.*

Versutia

48. *Sed in rem præsentem veniamus,*

&

& quibus ſingula, quæ diximus, cauſis per ſe exiſtant: quæque Dæmonum in illis ſubſidiaria opera, Magorumque hiſtrionica ſit, excutiamus.

49. *Tempeſtates, pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, certum eſt virtute cœli & elementorum excitari. Eſt tamen quod Dæmones* nonnunquam (DEI permiſſu) materiæ motum promoveant, ac dirigant, diſgregatas exhalationes cogant & ita componant, ut ſæviſsima ingraveſcat tempeſtas: *quam ipſam etiam detorquent in exitium hominum & jumentorum, deturbationem ædificiorum, calamitatem agrorum. Eſt etiam quod nulla ſuppetente vaporum copia, aëris confractu fragorem, compulſuq; nimbos concitent. An enim mobiliſsimũ aërem turbare, & per vim agitare integrum non eſſet his, quibus graviſsima corpora in altum ſubducere, & per aërem impetu auferre non eſt operoſum? Hinc non videtur*

An aliqua meteora fiant virtute dæmonũ. prob. 1. 2. 3.

4 *præter omnem fidem esse, quod* de Lappis & Finnis memoratur, qui ventos secundos precio vendant nautis. *Quorum in obsequio cum sint Dæmones (maxima enim est in septentrionalibus barbaries & idolomania) si res ad superstitionem confirmandam faciat, ipsi aërem haud difficulter à puppi impulerint. Atque adeò cum prævident*

5. *& signis prænotant Dæmones, quid possit naturâ, aut suis ipsorum viribus in aëre geri: interpellant Magos, ut hæc illave parent. Vbi succedit eventus, de suo artificio hi gloriantur.*

50. *Morborum autem origo omnis è natura est. Quod verò Hippocrates in morbis divinum celebravit, proceres nostri magna ex parte in aëre ambiente cœliq; motu reponunt. Mirum nî de causa interna, quæ in morbis sæpenumero incognita est, accipi possit: ut in Epilepsia, Mania, nervorum affectibus, febribus diversorum generum, in morbis Epidemÿs & hæreditariis observare licet.*

Au dæmones 51. *Nec possunt Dæmones ullum infligere morbum, ad quem nec corpus ani-*

malis

malis pronum paratumq; fuerit, nec cau-
ſarum externarum (quas medici rebus
nõ naturalib. inſcribunt) inſultus acceſſe-
rit. Id verò poſſunt ut τὰ προηγούμενα
τοῖς προκαταρκτικοῖς ſingulari ſæpè modo
evocent & exacerbent. Hinc alimentis
& pabulis admiſcent φθοροποιά. Hinc oc-
caſionem præbent eundi per loca, putri-
dis & virulentis halitibus ſcatentia.
Hinc venena ipſi proſtituunt, quá homi-
nib. pecudibus vè via eſt, quibusq; in lo-
cis commorandum eſt. Quibus rebus in
corpora intromiſſis, aliàs humorũ putre-
factio, certarumq; partium corruptela
ſequitur: aliàs ſpiritus vitales inflam-
mantur, & aut σῆψις repentina, aut
μαρασμὸς lentus inducitur: aliàs mali-
gna & mordax qualitas impingitur ner-
voſis partibus, unde intolerabiles crucia-
tus. Sic pulvis ille, quem Bodinus à
ſaga ſparſum ſcribit, potuit primum
quemq; tranſeuntem inficere.

poſsint morbos per ſe infligere? Neg. 1. 2. Aff. 1. 2. 3.

52. *Quæritur, quid impediat, quo mi-*
nũ multi aut omnes veneficijs oblatis ca-
piantur? Certè aliquãdo totus ferè grex
læditur: aliquando pauci: aliquando ne
quidem is, cui intentatum erat malum.

Cur non omnes à veneficiis lædantur?

Nec excludimus οἰκονομίαν *Dei; sed & propinquiorem causam quærimus. Vna est* diversa constitutio corporum 1. 2. ξυπαθῶν ἢ δυσπαθῶν. *Altera est diversus modus, quo maleficium ad hunc illúmve pertingit. Aliquando enim vis venenatæ auræ si non prorsus, certè plurimũ dissipata fuerit, unde transeunti securitas. Aliquando Dæmon in quem potest, omnem vim veneni ingerit: ita fit, quodcunque in corpore erat injuriÿs expositum, illud ut afficiatur.* 3.

Cur veneficia Magis innoxia?

53. *Quaris porrò: Quod à Dæmone traditur Mago venenum in manus, ut alicubi deponat, cur non ipsum, qui primò fert, Magum potius corripiat, quàm alium qui postea incidit? An causam videor jam dixisse? an illud præterea* 1. *est, quod monet Dæmon, ut caveat? an* 2. ἀλεξιφάρμακον *addit? an arcet ab hoc, impellit in illum? Quid hæres? Mirus est ludio: quæ potest, innumeris ostentat modis.* 3.

54. *Vt autem sectatoribus suis, quos scit nocendi cupidos, sed impotentes*

esse

esse, obsequatur, aliquando his venena exhibenda tradit: ut plurimum solum persuadet, *si quem ipse morbum sive sponte, sive suo etiam subsidio futurum, vel etiamnum factum animadverterit, ut certa quædam apparent, quibus illi, quicquid evenerit, acceptum prorsus ferunt.*

55. *Vetulæ solo intuitu putantur nocere.* An vetulæ aspectu lædant. Neg. 1. *At quid est, quod ex oculo erumpit, ut maleficium pariat? an spiritus? Mirum, si ab hoc abesse possit species obiecti visibilis, cuius gratia ad oculum mittitur. Aut igitur hanc secum ducit foras. Nonne sic turbatur visio? ac imago oculo concepta exolescit? Nec qui egressus est, ad oculum reverti possi spiritus, quem oculo, aut vultui lædendo impressum oportet. Quid? si hic recipitur in oculo violando, etiam alterum in oculo violante recipi par est, ut visio utrobique fiat. Quomodo autem oculus contrarijs motibus, dum emittit simul intromittit?* 2. 3.

4. *Quomodo visio aut alieno spiritu perficitur in oculo proprio, aut proprio spiritu in oculo alieno? Aut ergo foris demum suscipit speciem. Ista quomodo perveniet ad oculum? Vbi ubi speciem receptã velis, vetulam istam præsente obiecto videndo, oculo sano, intentis spiritibus nihil videntem feceris, imò videntem excæcaveris.* Vera causa. I. *An vero* halitus *est* pestilens, qui è vetula effluit? Is non oculi, sed oris, sed totius corporis defluvium est, malignæ & putridæ qualitatis particeps. *Non igitur intuitus sed contagium lædit.*

56. Persvasio est, qua persuaso forsan attulerit incommodum. Nam qui vetulam extimescit, dum malè compositum vultum intuetur, à quo sibi metuit malo, id sua sibi cogitatione conflaverit: si præsertim seminarium illius aluerit. *Nec enim leves sunt motus spirituum & humorum, qui intensa imaginatione excitantur. Qui cibum sibi fastidiosum videat ab altero comestum, etsi, non odoretur, sola imaginatione adigitur ad vomendum.*

II. Phantasiæ vis.

Et ſæpè quæ aſpectu vel auditu moleſta ſunt, animi usq; defectum inducunt. Pueri quoq; baculo percuſſi, & ſævo vultu territi à vetula, in morbum incidunt, qui vulgo effaſcinati creduntur. Quare non ſpiritus exitioſus ex oculis vetulæ effuſus, ſed puſillanimitas & pavor aſpicientis, ſi quid aliud, morbum inferre poteſt. Quod verò lippus oculus intuentem lippire facit, cauſa eſt mobilitas oculi: qui ut ſpecies rerum externas ſuſcipit, ſuſceptisq; conformis fit (eſt enim actus ſenſionis ipſum ſenſibile obiectum in eſſe immateriato:) ita ſi à perturbato oculo moveatur, ipſe quoq; perturbatur, humoribus alicunde auxilio ſpirituum accerſitis.

57. Nec aliam ob cauſam probatur, quod ex Iſigono Plinius lib. 7. hiſt. natural. cap. 2. annotavit de Triballis & Illyriis quibusdam, qui viſu effaſcinent interimantq;, quos diutius intueantur, iratis præſertim oculis. Quòd ſi à natura tributum illis eſt, in temperamento materiali (quod vocant) quod peculiari fluxu materiæ naſcitur, ſitum ſit oportet.

An Triballi oculis effaſcinarint?

Sed quæ in materia & temperie insunt, natura non omnino celat, sed expressis signis tam in vultu, quàm in reliquo corpore delineat & præfert. Id enim nisi esset, nulla ratione & certitudine niteretur Physiognomia, quæ è lineamentis & figura externa, coniecturam facit de temperamento & ingenito hominis more: quàm profectò scientiam nemo prudens despectui habuit. Caterum quod fronti cuiuslibet & vultui impressum est, simul atque diligentiori inspectione fuerit observatum, fit nescio quo modo, ut singulares motus in animis nostris excitet, quibus aliàs ad amorem, aliàs ad metum, aliàs ad commiserationem, aliàs ad aliam cupiditatem rapimur. Quid enim est, quod vel primo aspectu nos admonet, ut alium favore, alium odio dignum iudicemus, etsi mores non sint explorati, nisi illud ipsum quod in temperamenti naturæq; recessu penitiori abditum, ipsa in facie graphicè emicat? At quæ rara, quæ eximia sunt in materia, quomodo natura dissimulaverit? & propalàm visenda non propo-

fuerit? Quomodo autem istorum contemplatio magnos motus animo intuentis non incusserit? Itaq; quos Plinius refert, illorum in vultu dirum quid natura efformarit (quod & Plinius binis oculorum pupillis insinuat) cuius intuitu, metus & consternatio, tantaque spirituum ad cor compressio facta sit, ut, perseverante inspectione, cor angustia opprimeretur, & prohibita eventatione prorsus suffocaretur. Hinc iratis oculis nocuisse, quia maior tum esset truculentia: hinc puberes interemisse, qui distinctius quàm pueri, quæ in vultu essent, colligerent, à Plinio perhibentur.

58. Memoriæ etiam proditum est de familijs quibusdam in Africa, quæ si rem pulcerrimam impensè laudarent, perniciem moliantur. An omen dictis illorum adfuerit? & non eò, quòd laudaretur, res interierit, sed quia interitura esset, ideò laudaretur? Nec enim diffitendum est, esse, qui supra, quàm humana percipit acies, futura prævideant:

An laudatio quorundam noxia?

propte-

propterea quòd illorũ animus, initia rerum, quæ venturæ sunt persentiscat. Nec ita multæ sunt subversiones regnorum, urbium, familiarum præcipuarum, quæ prædictiones suas non habuerint. Itaq; isti rerum florentissimarum, quæ non modo hominum, sed ipsius naturæ invidiæ sunt expositæ, interitum jam instantem præsagierunt. Sed cur res illas prædicarunt? An more hominum fecerunt, qui ea, quæ obierunt, commendant? itidem ipsi quæ obitura essent. An quod expressè laudarunt, tacitè devoverunt?

Num aliqua per Magiam in corpus occultè indi potuerint? Neg. I.

59. *Incredibilia ferè sunt, quæ de cultris, clavis, tigillis, è vivis hominum corporibus, demortuiq; ventriculo exectis commemorantur, quæ Magicis sortibus immissa existimantur. Censent quidam, illa dum secarentur, supposita esse à Dæmone, astu obtutum oculorum anteo vertente: idq; ob profanam de maleficio persuasionem ab ægro, illisq; qui ægro adfuerunt, conceptam. Nisi forsan credas,* II. in defuncti quidem stomachum, per vulnus patens *(is autem cultro sibi fertur abscidisse guttur)* aut etiam per

fauces fuisse ingestos cultros, ligna, alia, &c. *In viventibus autem post longam humorum aut flatuum certa in parte appulsionem, quá non solum intemperies orta est, sed & partes dissolutæ sunt, non sine acerbissimo dolore:* aperto tãdem ulcere, ejectoq́; pure, quâ datus est meatus, arte Dæmonem immisisse cultrum aut clavum. *Ego quod affirmem non habeo. Vtcunq; res sit gesta, fraus certè adfuit, qua diabolus voluit opinionem hominum de se singularem confirmare.* III.

60. *Neq; verò minus sanationes morborum, si quæ Dæmonum opera fiunt, medijs & auxilijs naturalibus instituuntur. Nam* & causam arcent noxiam *quæ forinsecus sive ultro, sive ipsorum compulsu irruit:* & salutaria undecũque βοηθήματα, quibus blandè demulceatur & alteretur malum, corpori subministrant. *Quæ cum ipsi subitò & affatim parent: sanationes celeriter ac præmaturè absolvuntur.* An curationes diabolicæ morborum p. n? Neg. 1. 2.

61. *Non est prætereundum Theophra-*

sti Pa-

An ὁπλιατρίας Vis sit naturalis?

sti Paracelsi institutum, sanandi vulnera obligatis tantummodo armis Quod ita sit; Paratur linimentum ex ijs, quæ dira etiam & superstitiosa sunt, ex sanguine & adipe humano, ex situ qui cranio humano aëre & tempestate innascitur, ex macerata item carne humana, aut sanie demortui corporis conditiq, quam Mumiam vocant. Adduntur nonnulla, inflammationi prohibendæ, parti corroborandæ, sedandis doloribus, conglutinandaq carni non inepta, ut oleum rosaceum, mel, oleum lini, bolus armenus, &c. Tum imperatur ut aut arma quæ læserunt, si præsto sint, aut tigillum ferramentùmve quodcunq sea tinctum illud priùs cruore vulneris, indeque resiccatum linimento dicto perungatur, & linteis circumligetur, omnique studio caveatur, ne quis inhæresçat squallor. Quid tum postea? Mandatur ut vulnus non minus quàm ferrum, bis in singulis diebus linteo mundo, lotio vulnerati hominis imbuto, obligetur. Sic isti.

Neg. 62. *Ecquid huic rei adsit virium ex-*

penda-

pendamus. Mea sic est ratio. Qui ferrum obligat, ut vulnus sanetur, tantundem agit, ac si glaciem, aut quodcunque corpus frigidum, quod admotam manum frigefecit, integumentis operiat, ut frigefacta manus incalescat. Aut etiam idem videtur esse, ac si veste induas eum, qui alteri detraxit, ut calefiat denudatus. Nihilo εὐλογώτερον est, quod cũ armis obligati sit 1
Cur autem pari ratione non oblinitur lapis aliudque telum, quod illisu contuderit tumoremque & livorem sine vulnere incusserit, ut medela sit? At experientia comprobat eventum. Vnde igitur ille? Dissiciamus. Aut enim est à σχέσει & similitudine obligati ferri ad vulnus obligandum. Atqui in relationibus nulla inest agendi efficacia. Aut vis quædam dimanat à linimento ad vulnus. At non tangunt mutuum. Et si quid linimentum potest, non ferro, sed vulneri inunctum praestabat, omninoq; ferri inunctio supervacanea erat. Si dicas vim unguenti occultè illabi in vulnus: 2. 3. 4

Mirum

Mirum verò si è quolibet intervallo pertingat, & non ab intervenientibus corporibus inhibeatur. Imò verò cum a-
1. *ctio medicamenti sit materialis (id enim Theophrastus ipsa inunctione probat) non potest sine contactu corporeo vim edere. Aut sanatio est ab actione linimenti in ferrum. Hoc verò sanari nec potest nec debet. Aut est ab actione unguẽti in sanguinem ferro illitum. At perinde est. Nam nec hic sanari debet. Aut est à virtute obliti ferri in vulnus. Verùm, ut prius, quod nocebat ferrum, corpori admovebatur: ita etiam hoc, quod sanare debet, applicandum fuerit. Aut denique summa rerũ redit ad ea, quæ vul-*
6. *neri adhibentur. Non nego,* si sæpius ac studiosè obligetur vulnus linteis mundis, & extergatur recenti lotio, prohiberi inflammationem, ac puris generationem, ipsumq; vulnus præparari ad consolidationem spontaneam. *Verùm si hæc sufficiunt, ludicra & otiosa sunt quæ fiunt præterea. Quod si ista non sufficiunt, restat, ut ad superstitionem & impiam opinionem, tum eius, qui adhibet, tùm eius cui ad-*

hibe-

betur omne negotium reijciamus. Et testatur quodam scripto Thomas Erastus, se in multis chirurgis periculum fecisse, qui sine superstitione fecerint, sed nihil profecerint.

63 Iam quid est, quod quorundam corporibus, aut quibusdam corporum partibus indita dicitur esse facultas sanandi certos morbos? Vt de Pyrrho rege Plinius prodidit, tactu pollicis in dextro pede, lienosis mederi solitum. Non cadit autem ea virtus in corpus cuiusquã, quæ contactu brevi & momentaneo expellat morbos. Tametsi enim insolitus quidam status oriatur in temperamẽto, cui facultas eiusmodi deberi judicetur: tamen nisi longa & assidua illius perduret actio, quæ causam morbi removeat, & lentam alterationem moveat item & promoveat, salus nulla erit. Sed cum magna soleat vulgi de quibusdam esse opinio, fit, quod aliàs dixi, ut animi affectus in ægroto, corporis mutationem inferat. Atq; in ijs,, quæ per naturam moveri proclivia sunt, si quod undecunq; initium motus factum sit, non

An aliquibus sit indita vis sanãdi morbos? Neg.

ſolum continuus ſit progreſſus ad finem, ſed etiam concitatior decurſus, quam prò actu impellentis. Nam quod ſcindi facilè eſt, ubi paululũ aliqua ſecueris, plus ſcinditur quàm ſcindens ſcindat. Quamobrem corpora ſanabilia, & in declinatione morbi conſtituta, quacunque ex re initium & occaſionem ſanationis adepta fuerint, promtè & expeditè ad ſanationem ipſa ruunt. Quod vel aſpectus eius de quo fiducia erat, vel exercitium corporis, vel aër vel victus irritaverit. Hoc illis ſcilicet accidit, qui dum laborant, itineri ad reliquias ſanctorum ſe devovent, aut lota vel fontes religione ſacros adeunt: quibus eò certior obtingit ſalus, quod diabolus ad ſtabiliendam idololatriam nocentia ipſe avertat, juvantia adverſat. Huiuſmodi ergò ſanationes, quæ interno naturæ motu potiſſimum fiunt, dicari conſueverunt ei, quod notum, quod celebratum eſt, ut homini, ut idolo, ut loco.

An peregrinationes iuvant? Aff. per acci.

An verba ſanẽt?

64. *Illud tandem monuerim, non temerè eſſe, quod quidam dicuntur ſanari recitatione certorum verborum: ut in*

hamor-

hæmorrhagiis fit. Vt enim anodyna mentis, quæ dicuntur, dum animum proſtratum recreant, & ſpiritus à parte dolente avocatos, alio traducunt doloris ſenſum obliterant: ſic in fluxu ſanguinis, recitatis certis verbis, ſi firma accedat perſuaſio, ſpiritus ad contrarium motum abripiuntur, & ſanguinis eruptio ſiſtitur. Non eſt autem vis ea verbis conceptis aſcribenda, ſed perſuaſioni è verbis conceptæ.

65. Ligaturas conſtrictas, herbas ſub lecto repoſitas ad venerem facere frigidos, frigidorum certè oratio eſt. Multa autem cum poſſint eſſe impedimenta coitus, tam è cauſis rerum non naturalium externis, quàm è cauſis internis: tùm non raro contingit, eam eſſe violentiam amoris, ut ſpiritibus omnibus ad præcordia concentratis, partibus genitalibus, quas ſpiritu turgere oportet, nulla ſuppetat copia.

An ligaturæ Venerem retardent? Neg.

66. Feræ naturâ parẽt homini, eumq; plus timent quã alia: idq; propter ordinem in mũdo. Manſueſcũt autẽ eſcis: domanturq;

An feras ſiſtant ac domeut orationes?

arte, metu & verberibus, tum etiam detractis armis, in quibus præsidium ponunt. Ne. *Fugantur terrore, aut odore ingrato, quem sagaciſsimè percipiunt. Nihil huc obmurmuratæ orationes, nihil figuræ ſcriptæ.*

An amor vel odium verbis Magicis paretur? Neg. 1.

67. Quæ adhuc expoſita ſunt, ortum habēt è natura. Amicitia *autem* & odium voluntate hominum conciliantur: *quanquam ad hæc ſuam quoq; partem natura contribuat. Cum enim* natura ducamur ad proſequendum id, quod bonum aut utile, nobisq; cognatum eſt: fugiendumq; ex ad- 2. adverſo illa, quæ mala, nobis diſsimilia, infauſtaque eſſe poſſunt: *ratio tamen noſtra, quæ ſint eiuſmodi, agnoſcit & judicat, modosq; quibus aut rei judicatæ ſe applicet, aut ab eadem ſe abſtrahat, invenit & parat: tum voluntatem conſilij ſui adminiſtram & executricem ſuſcitat & adornat. Nec ſine his initijs & alimentis benevolentia aut malevolentia ulla ſuccreſcit. Quorſum igitur carmina? vincula? alia?*

68. *Ab amicitia aliquantum seiunctus est amor. Vt enim illa mutuo duorum affectu constat: ita hic unius tantum est. Et amicitia, quæ nunquam est sine benevolentia, hoc est, sine bona volũtate, rationi consociatur: amor ad sensum potius attinet. Nascitur ergo amor ex voluptate ea, quæ noticiam rei sequitur: illaque res amatur, quæ sensu cognita & approbata expetitur. Hinc facile est judicare, quid tribuendum sit Philtris. Hæc temperiem modò corporis, sed nec subitò, nec penitus mutare, & consensione quadam animum afficere ac perturbare, non autem rei ignotæ noticiam, aut certæ definitæq; desiderium suggerere & inculcare possunt: quamvis ægro in animo rei prius notæ & affectatæ phantasma augere, & appetitum inordinate incendere possint.*

An Philtra incẽdant naturaliter amorẽ? Neg.

69. *Hæc igitur, quæ commemoravi, falsò ascribuntur Magis, illorumq; ritibus & deliramentis. Neq; enim, quia talia à Magis administrantur, res ipsæ succedunt: sed quia verè jam evenerunt, aut eventuræ sunt, Dæmonum hortatu talia ab istis peraguntur.*

70. Nec fidem facit Magorum asseveratio pertinax: est enim corrupti animi & iudicij, *Nec etiam fidem addit vulgi opinio. Nam si quid insolitum aut notabile incidat, fit plerumq; ut illius causa à plurimis asseratur, non ea quæ ad effectum ipsum quadret, sed quæ suæ cuiusq; cogitationi alludat.*

71. *Supersunt illa, quæ à Magis verè fiunt, ut veneficia oblata, homicidia manu perpetrata. Verùm hæc non sunt Magorum propria, sed cum aliis communia.*

Magicarum actionum causæ?

72. *Ex omnibus autem iis, quæ hucusq; exposita sunt, colligamus causas, ipsumq; τὸ διὰ τί effectuum magicorum: quod uno eodemq; συλλογισμῷ fieri nequit. Quorum enim ἐνέργεια ad Magum attinet ipsum, princeps illorum causa effectrix est* Diabolus, *totius fabulæ & lusus præstigiosi, quem prædicant Magi inceptor, actor, perfector. Causa autem sine qua non, est* permissio & indulgentia Dei, *qui desertores sacratissimi fœderis sui, justissimo judicio vicissim deserit, ac diabolo ludificandos & pes-*

1. Eff.

ſundandos relinquit. Inſtrumentum iſtarum actionum eſt Magus *qui non aliter ac ſervus ad œconomica, ſic ipſe ludibriorum diabolicorum uſui ſe offert ac deſtinat. Hunc verò ad tale miniſterium varia adduxerint. Aliàs quidem cyclopica* ἀθεότης & δεισιδαιμονία: *unde Magia apud Barbaros & ſeptentrionales maximo in uſu eſt. Aliàs vana* curioſitas *aut* ambitio *aut* avaritia: *quorum nomine Magia etiam illuſtribus quibuſdam viris exprobratur. Aliàs* odium hominum & cupiditas *damndi aliis damnum, ut in vetulis aliisq;, qui in fermento, quod aiunt, ſemper iacent.* Aliàs animus deſperabundus, & diffidentia, de cura & ſuſtentatione divina, *quibuſcum concurrit ferè* εὐηθεια *&* ſimplicitas deceptu facilis: *hinc melancholici, qui triſtes ſunt & mulierculæ quæ imprudentes & credulæ ſunt, iſta in ſcena frequentiſſimè introducũtur. Si qui ergo ita fuerint affecti animo, ut dixi, nimirum illis in tempore ſe adiungit Diabolus: & quam quisq; curã aut cupiditatẽ animo verſat,*

3. Inſtrumentalis.

4. Impulſiv.

inflammat qui est furor impietatis, hunc ostentis portentisq; adauget: quam quis à Deo defectionem parat, blanda vanitate & magnificis promissis suadet, persuadet: donec ad se pellectos, ad libitum tractet & exagitet. Hoc regnum est diaboli: his armis & dolis capiuntur, captiq; in servitutem turpem & deploratam sua culpa conjiciuntur homines miseri. Caterū eundē Magum nihil prohibet materiam seu subiectum istarum actionum dicas. Nam cum Dæmon eo utatur suarum machinationum organo: actio tamen ipsa in Mago inhæret & subsistit.

73. Quæ autem Magica vi alijs in rebus extra Magos ipsos proveniunt, causam per se & primariam habent naturam, quæ etiam sine ope Magica producere eadem potest. In quibusdam vero causa est cognitio & voluntas hominis. σωμάτιον *illis accedit ingenium & violentia Dæmonum, qui suppetias naturæ ferunt: & ut agentia cum patientibus ad palæstram suam actumq; perveniant, efficiunt: impedimenta removent: con-*

tractum

tactum prægravant & ingeminant. Quibus rebus efficitur, ut effectus inopinatus, præcox & valentißimus oriatur. Magi verò de illis cura & cogitatio eſt omninò cauſa per accidens. Nihilo enim maiori neceſsitate eventus in natura ſuccedit cogitatis Magi: quàm ſi mihi de adventu amici, monitu cuiuſdã cogitanti, accidat, illum ultrò adventare, & (quod aiunt) lupum in fabula eſſe. Ipſa verò ἐργασία & apparatus Magi, qui fit characteribus, carminibus &c. nullâ vi, nulloq; ordine, aut lege reſpicit effectũ. Si dicas à Dæmone juſſa inſtitutaq; eſſe, neq; ut conſentaneum eſt, fruſtra luſus eſt. Neq; enim ideo mandat, ut per iſta agat aut efficax ſit, ſed ut amenti Mago indubitatã opinionem afferat, dum aliquid agit, aliquid ſe poſſe & efficere. Sin inſtes: etiam alijs, qui Magi non ſint, uſitata eſſe & prodeſſe: idem petis. Nam nec hi illorum virtute effectum præſtant: nec diabolus his utitur inſtrumentis aut adminiculis. A quo cunq; autem profecta ſint autore, certum eſt, ad perſuaſionem profanam & ſuperſtitionem tantùm facere: quam ubi in-

vexit Diabolus, vocatus adeſt, & quod requiritur, quodq́ poteſt ſedulò obit.

An ſit finis actionũ magicarum? Aff. 1. 2. 3.

74. *Finis, ſi quis dicendus eſt, & non* potius τὸ ἔσχατον (βόλεται γὰρ ὃ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιον:) *is ergò finis eſt* extrem⁹ interit⁹, *in quẽ mẽdacijs magiſtri ſui conijcitur Magus. Eſt etiam apud alios* introductio & confirmatio ſuperſtitionis, *ordinem divinitus inſtitutum in natura, eoque ipſum Deum contemnentis. Imprimis autem eſt* κακοζηλία *Diaboli, opera & miracula divina arroganter affectantis.*

Τῷ θεῷ δόξα μόνῳ.

Ad Benevolum Lectorem.

NE fruſtra vacuæ venderentur pagellæ, viſum eſt haud inutile, quæſtiones aliquas à ſuperioribus non alienas ſuperaddere. Quod animi officioſi ſtudium, tuum eſt, bone lector, boni conſulere. Vale.

Quæſtio I.

An faſcinatores aliqui naſcantur?

INveniuntur, qui faſcinatores naſci, ſtatuere non dubitant, vel ob ſingularem ſubſtantiæ modum vel ob temperamenti proprietatem, vel ob ſpirituum qualitatem, ex putredine malignam: vel denique propter adverſos aſtrorum in ipſo nativitatis puncto conſpectus. Tales à natura maleficam habere vim creduntur, quam inſtar jaculi ex oculis non modo in aërem, ſed etiam in obvios quosq; emittere, non ſine maxima noxa dicuntur. Hu- Aff. 1. 2. 3. 4.

ius generis fuisse totas in Africa fa-
5. *milias, autor est* Plin. l. 7. c. 2. & l. 33,
c. 10. *potissimum verò id vitij circum-*
6. *gestare fœminas, quibus vel gemina*
in utroq; oculo pupilla data est; vel in
altero equi canisvè effigies, ut habet
D. Thomas part. 1. quæst. 117. art. 3.
Neg. 1. *Verùm hæc opinio vanæ credulitatis*
est. Quomodo enim in humano gene-
re tanta potest esse contrarietas, ut in
eadem specie alter alteri naturæ instin-
ctu lethaliter adversetur: siquidem
nec in brutis animantibus illa mali-
gnitas locum habet. Nec enim leo-
pardus leopardum, nec vipera vipe-
II. *ram extremè odit vel insectatur. Si*
temperamentum venenatæ naturæ
causa, tunc potius ad infectionem
quàm ad fascinum effectus referen-
III. *dus. Sin spirituum putredo adesset,*
hæc potius individuis efflantib. quàm
aliis, obesset. IV. *Astra deniq; corpori-*

bus

bus humanis talem δυσκρασίαν non imprimunt : cum per ſe bona ſint, & ad bonum à conditore finem dirigantur. Aliàs plurimi ſub eadem horâ naſcentes faſcini virus æquè contraherent. Plinius igitur fabulæ fidem tribuiſſe videtur: aut ſi relatio vera fuit, magis torvus intuentium aſpectus, terrorem incutiens, quàm inſita malignitas, incuſanda. Quare nullus ex ortu faſcinator exiſtimandus. 5.

II. Quæſtio.

An examen Lamiarum, ſi aquis immerſæ innatent, ad pœnam ſufficiat?

QVamvis aliqui ſtriges optimè per aquas dignoſci poſſe, mordicus defendãt, his confiſi argumentis, quod illæ licet aquis immergantur, à dæmone tamen plus aëreæ quàm aqueæ naturæ participante, ſubleventur: & quod ipſius elemẽti aquæ ſit hæc inſita Aff. 1. 2.

3. proprietas ut velut in ſalutem hominum conditum eſt, adeoq; facilimè à peccatis abluendos in baptiſmate admittit: ſic odio Vatiniano reijciat & accuſet eos, qui â ſuo creatore fiunt periuri, & elementis abutuntur: hæc tamen opinio nimis frivola & plusquam ἄλογος videtur. Quid enim levitatis dæmoni convenit, qui nullo

Contrà Neg. 1. corpore præditus? Quid rationis aquæ, ut ſagas poſſit agnoſcere? dices, hanc ipſi vim à Deo conceſſã, ut ſagas

II. repellat, nõ aliter quàm ferrum Theamedes. Falleris. Illud ſi eſſet, ſemper eventus reſponderet. At non. Poteſt

III. enim ſatanas, inſontes ob magiſtratus incredulitatem, quem ita deludit, & ad iniquam ſententiam invitat, ſubmergere: contra ſontes, ne trahantur

IV. ad pœnas, allevare. Quid verò fidei abnegatio, perverſa voluntas, aut depravata imaginatio gravitatem corporis immutabunt? Adhæc ſi mulier

est rarior & calidior viro, ut Hippocrates l. 1. de morb. mulier. initio refert, annon facilius aquis innatabit? an ideo punienda? Non puto. Stultam igitur, ineptam & falsam hanc experientiam censemus.

III. Quæstio.

An fas sit ad morbos amoliendos aut maleficia repellenda maleficiis uti?

SVnt qui affirmant, licere maleficia propter bonum finem implorare. Aff.
Quocirca nonnulli judices jubent maleficas à læsis noxas benedictione quadam avertere. Theophrastus quoq; Paracelsus l. de morbo caduco pronunciat, nihil referre, num bonus vel malus genius opem ferat, modo morbus tollatur. At hi pessimi sunt censores. An enim facienda mala, ut eveniant bona? Nonne sacris literis id repugnat? Scriptum enim Levit. 19. Neg. 1. 2.

Non

Non declinetis ad Magos &c. non-
nè qui persuadet alteri maleſico, ut
3. *dæmonem invocet, ipſe quoque taci-*
tè conſentit, & propter opem honorem
defert? pone, quod apparens bonum te
4. *permoveat; annon illecebram peioris*
mali ſubeſſe, ſanato corpore, ſed vul-
nere menti inflicto, ſuſpicandum?
valeant igitur, qui talia re-
media quærunt.